Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .
Das PDF wurde erstellt am: 23.04.2026, 10:10 Uhr.

Albius Tibullus Immanuel Gottlieb Huschke

Albii Tibulli Elegiae Tres : Diversitatem Lectionis Vossianae Suasque Animadversiones

Rostochii: Ex Officina Adleriana, MDCCCXIV.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Huschkiana.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0001

19. 5.

Cd-10781.

~~C. II c. 1178.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0002

ALBII TIBULLI

ELEGIAE TRES.

DIVERSITATEM LECTIONIS VOSSIANAE

SUASQUE ANIMADVERSIONES

ADIECIT

IMMANUEL G. HUSCHKE.

Ex Bibliotheca Academica Rostochiana

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIV.

Ed-1078!.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0003

SACRA

IESU CHRISTI

NATALITIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

IMMANUEL G. HUSCHKE

ELOQ. PROF. PUBL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR

Ex Bibliotheca Academica Rostochiensis

ILLUSTRATUR TIBULLI ELEGIA PRIMA.

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIII.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0005

Magno n per favore auditus est ab adolescentibus, bonarum litterarum studiosis, me praelegente, Tibullus. Cuius rei caussa sine dubio repetenda potissimum est a carminum illorum praestantia, quorum iam apud Veteres tanta fuit existimatio, ut inter Elegiarum scriptores, quos Latium tulit, primus locus concederetur Tibullo. Alteram tamen huius oblectationis caussam deprehendisse mihi videor in Editionum, quibus uterentur auditores, discrepantia, molesta illa quidem tironibus, Marte suo in hoc studium incumbentibus, sed tamen iucunda, si accedat doctoris officium, lectionem quamlibet ponderibus suis modulisque examinantis, et audientes in vestigiis veri reperiendi collocantis. Qua via ad ipsa Critices penetralia paullatim adducti, quid probum, quid adulterinum sit, plerique omnes sua sponte assequuntur, et in rem perceptam tamquam in possessionem suam veniunt. Nullus autem Antiquitatis scriptor inveniri hodie potest, qui uberiorem in utramque partem disputandi materiam praebeat, quam Tibullus, postquam Io. Henr. Vossius editionem paravit, a caeteris adeo discrepantem, ut, si quis, pristinis adsuetus exemplaribus, hoc in manus sumpserit,

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0007

haud raro in alio rerum orbe versari sibi videatur, Tibullumque saepe in Tibullo quaerat. Cuius generis editiones nescio an Academiis magis conveniant, quam quibus offeruntur, scholis. Scholarum enim magistris, quamvis ab usu et apparatu critico instructis, tamen evitandi sunt scriptores sive a librariis nimis depravati sive ab editoribus temere interpolati, ne harum rerum curiosa investigatione ab aliarum artium tractatione discipulos abducant. Erunt fortasse etiam, qui eiusmodi editiones ne Academicae quidem iuventuti in manum tradendas esse dicant, tamquam nugatorias et omnem Antiquitatis fidem infirmantes. Verum in Academiis quodam artis criticae veluti gustu imbuendi sunt adolescentes, ut certa a dubiis discernere aliquando discant, tandemque intelligere incipiant, non semper veram esse, quam in suo quisque exemplari reperit, lectionem. Quo nomine dici vix potest, quantam commendationem habeat ista a Vossio adornata Tibulli editio, de qua accuratius dicendi alibi fortasse dabitur locus opportunior. Nunc primam Elegiam separatim examinabimus, et commentario nostro lectionis Vossianae diversitatem brevesque aliquot Santenii animadversiones adiiciemus.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0008

ALBII TIBULLI

ELEGIA PRIMA.

ANNOTATIONEM ADIECIT

IMMANUEL G. HUSCHKE.

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIII.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0009

ALBII TIBULLI
ELEGIA PRIMA.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli:

V. 2. *magna.*

1—2. Hunc locum laudat Diomedes grammaticus libr. III. c. de poematis generibus p. 481. Putsch. ubi primus versus nunc ita legitur: *Divitias alius fulvo sibi* conferat *auro.* Nempe in V. C. Diomedis, teste Heinsio, vitiose exaratum erat, sibi *conserat.* Hinc Putschius de coniectura fecit *conferat.* Obstat huic lectioni consuetudo, quae, ut Gellius scribit XII. 13. cum omnium domina rerum, tum maxime verborum est. Ovid. XVII. Epist. 224. Congestoque *auri* pondere *dives ero.* Tibullum ob oculos habuit Claudian. II. in Ruf. 134. *Quid nunc* divitiae, *quid* fulvi *vasta* metalli Congeries, *quid purpureis effulta columnis Atria, prolataeve iuvant ad sidera moles?* Sed Claudianus sententiae sanitatem corrupit, *atria* vel palatia substituens iugeris. Nam Tibullus, vetustissimorum poetarum exemplo, recte coniunxit *aurum* et *agros*, tamquam duo praestantiora divitiarum genera, quae per excellentiam κτήματα dicuntur. Homer. Il. ι. 125. Οὔ κεν ἀλήϊος εἴη ἀνὴρ, ᾧ τόσσα γένοιτο, Οὐδέ κεν ἀκτήμων ἐριτίμοιο χρυσοῖο, Ὅσσα μοι ἠνείκαντο ἀέθλια μώνυχες ἵπποι. Ubi manca foret sententia, si cum Bentleio medium versum eiiceres. Prorsus autem a vero aberrat idem vir doctissimus, corrigens: οὐκ ἀναέθλιος εἴη ἀνήρ. — Pindarus Nem. VIII. 63. Χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἀδών —

2. *Iugera multa.* Tres mei cum aliquorum reliquis, *magna;*

quod significat *multa*, sive, quae cum multa sint, magnum regionis spatium occupant. Ad Diomedem autem l. 3. p. 481. fine quod provocat Broukhusius, *multa* defendens, sciendum, antiquas editiones servare: „Elegia est carmen compositum hexametro versu pentametroque, ad invicem positis, ut: *Divitias alius fulvo sibi congerat auro, Et teneat culti iugera* magna *soli.*“ Certe *magnus* in iis, quae pondere, mensura, numero constant, non raro ad vim τοῦ *multus* prope accedit, ut — Virgilius I. Aen. 148. *magnum* populum dixit frequentem, magno numero constantem. Tibullus II. 6. 22. *magnum* foenus appellat, quod Propertius III. 1. 22. *duplex*, Ovidius Rem. 174. *multum*. SANTEN. ad Balbum p. 1829. Poterat Santenius exemplis uti, magis ad rem pertinentibus, tum Graecorum tum Latinorum, v. c. Theocriti XXIV. 106. Εὔρυτος ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις, Horat. I. Serm. 6. 4. *Olim qui* magnis legionibus *imperitarunt*. Nam, quod Wakefieldius substituit, *regionibus*, speciosum illud quidem est, nec tamen certum. Versus Saturnius in Accilii Glabrionis tabula apud Atilium Fortunatianum p. 2680. *Fundit, fugat, prosternit* maximas legiones. — Sed μεγάλαι ἄρουραι, quas dicit Theocritus, respondent illae potius *immensis campis*, quos a *multo iugere* accurate distinguit Tibullus II, 3. 41. *Praedator cupit* immensos *obsidere* campos, *Ut* multo *innumeram* iugere *pascat ovem*. Similiter III. 3. 5. *Aut ut* multa *mei renovarent* iugera *tauri*, *Et* magnas messes *terra benigna daret*. Horatius, qui *magna* scribere poterat, tamen *multa* praetulit, sententiam, quam supra illustravimus, ita exprimens Epod. XV. 19. *Sis pecore et* multa dives tellure *licebit*, *Tibique Pactolus fluat*. Quae vero idem vocat *inmetata* Scytharum Getarumque *iugera* III. carm. 24. 12. laudante Vossio, ea tantum hinc distant, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Totum paene Tibulli versum suum fecit Ovidius III. Fast. 192. Iugeraque *inculti* pauca tenere *soli*. Albinovan. II. 34. Paucaque *pomosi* iugera culta *soli*. Accedit, quod in V. C. Diomedis, teste Heinsio, item legitur, *multa*, non *magna*. Quare non dubitandum, quin Tibullus scripserit: *Et teneat culti iugera* multa *soli*.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0012

Quem labor assiduus vicino terreat hoste,

3—4. Hanc sententiam egregie illustrat Homerus Il. κ. 97—101.

Δεῦρ' ἐς τοὺς Φύλακας καταβείομεν, ἔφρα ἴδωμεν,
μὴ τοὶ μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ
καμήσωνται, ἄταρ Φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται.
Δυσμενέες δ' ἄνδρες σχεδὸν εἵαται· οὐδέ τι ἴδμεν,
μήπως καὶ δὶὰ νύκτα μενοιήσωσι μάχεσθαι.

Eiusmodi labor, qui semper instat, saepe de improviso venit, recte dici potest militem *terrere*. Hinc *metus*, *terror*, *labor* promiscue de bello frequentantur. Vide Heinsium et Ruhnkenium ad Velleium II. 28. Nec tamen mirum est, viros doctissimos in hoc loco offendisse. Musgravius malebat *exerceat*. Vulpii amicus *torreat*; Heynius: *Quem* clamor subitus *vicino terreat hoste*. Parum probabiliter! Vide Santenium Biblioth. Crit. T. I. P. III. p. 66. Quod mihi nuper excidit commentum, etsi minus nunc placet, tamen, quoniam locus in vitii suspicionem semel adductus est, hic apponam: *Labor* militem vulgo non *terrere* dicitur, sed potius *terere*, *frangere* etc. Statim succurrit ille apud Horatium miles gravis *armis* I. Serm. 1. 5. *multo iam* fractus *membra* labore; — cui convenit cum Ulysse, *annis* minime gravi, apud Homerum Od. ϑ. 136. οὐδέ τι ἥβης Δεύεται, ἀλλὰ κακῖσι συνέρρηκται πολέεσσιν. Avienus: *Voverat* attritus *quondam per proelia miles*. Hoc frequentat Livius v. c. VI. 8. *cohortatus milites, ne tamquam Veios oppugnantes in opere longinquo* sese tererent — *oppidum cepit*. Ibid. c. 27. *Latinis*, *Hernicis*, *Praenestinis iam intentari arma*, *civium magis quam hostium odio*, *ut* in armis terant plebem, *nec respirare in urbe*, *aut per otium libertatis meminisse sinant*. Quae verbi *terere* potestas e graeco fonte fluxit. Herodotus VI. 12. οἱ Ἴωνες, οἷα ἀπαθέες ὄντες πόνων τοιούτων, τετρυμένοι τε ταλαιπωρίῃσί τε καὶ ἠελίῳ. Gregorius Corinth. p. 534. ed. Schaef. τὸν καταπεπονημένον τετρυμένον λέγουσι. Apud Theocritum I. 45. occurrit ἁλίτρυτος γέρων, id est, qui marino vitae genere *detritus iam* ac

Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitae traducat inerti, 5

V. 4. *quoi.*

retorridus est; ut scribit Gellius XV. 30. Sed huc in primis pertinet Minerva Ἀτρυτώνη, interprete Hesychio, ἀκαταπόνητος, ἄτρωτος (ἄτρυτος) ἐν μάχῃ. Apollonius inepte addit: παρθένος γὰρ ἡ θεός. Vide Heynium ad Il. β. 157. „Ut vero Latine gravia et molesta *laboriosa* dicuntur, sic etiam a Graecis ἄτρυτα" monente Valckenario ad Theocrit. Adon. 7. Ἁ δ' ὁδὸς ἄτρυτος. (Deteret *invalidos et via longa pedes*, Tibull. I. 9. 16.) Ad hanc igitur normam scribi potuisse a Tibullo putabam: *Quem labor assiduus vicino* deterat *hoste.* — Sed praestat receptam lectionem tueri, quam expressisse videtur Ovidius IV. ex Pont. 9. 82. *Et, quam* vicino terrear hoste, *roga.* Horatius I. carm. 26. 3. *quîs sub Arcto Rex gelidae* metuatur *orae,* Quid Teridaten terreat, *unice Securus.*

4. *Martia cui* etc. Vossius h. l. reposuit *quoi* pro *cui*, ut I. 5. (6.) 31. et I. 10. (11.) 44. At per reliquos libros hoc pronomen in mira versatur varietate. Nam II. 1. 80. et II. 2. 6. recurrit *cui*; mox II. 5. (6) 18. denuo infertur *quoi.* Rursus Messal. 184—86. *Cui.* Quo teneam *vultus mutantem* Protea nodo? Praestat in his carminibus retinere *cui*, ne cogamur etiam reponere *quoius* vel *quius*, quod utrumque exhibent duo codices apud Broukhusium IV. 12. 4. Vide Cassiodor. p. 229. — — *classica pulsa* illustrat locus Plutarchi Symp. II. Quaest. 4. Vol. VIII. p. 528. ed. Reisk. ἐπιεικῶς γὰρ ἀπολαύειν τὰ νεώτερα πράγματα κειμένων ἐν τοῖς παλαιοτέροις ὀνόμασιν, ὡς που καὶ τὸν αὐλὸν ἡρμόσθαι λέγουσι, καὶ κρούματα αὐλήματα καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς λύρας λαμβάνοντες τὰς προσηγορίας. Aristophanes Av. 682. Ἀλλ', ὦ καλλιβόαν κρέκουτ' αὐλὸν φθέγμασιν ἡνιοῖς. Claudian. XVII. 312. *Qui nutu manibusque loquax; cui* tibia flatu, *Cui plectro* pulsanda *chelys.*

5. *Vitae traducat inerti.* Martial. Spect. IV. *Turba gravis paci*

Dum meus assiduo luceat igne focus.

V. 6. *exiguo.*

placidaeque inimica quieti, Quae semper miseras sollicitabat opes, Traducta est Gyaris — Quem locum comparat Fruterius Verisim. I. 6. non ut confirmet veterem Tibulli scripturam, sed ut convellat, Nam et apud Martialem praefert aliorum librorum lectionem, *Tradita Gaetulis*, (quam etiam tuetur Vossius II. Art. Gramm. c. 38.) et apud Tibullum corrigit *vita traducat inerti*, id est, *infamet*, ut explicat Gronovius Elench. Antidiatr. T. II. p. 209. ed. Lips. quod merito reiecit Heynius. Nihil propius a locutione Tibulli abest, quam quod scribit Terentius Phorm. Prol. 1. *Postquam poeta vetus poetam non potest Retrahere ab studio et* transdere hominem in otium, *Maledictis deterrere, ne scribat, parat.* Atqui hoc etiam paullo insolentius dictum. Sed insolentia non semper est nuntia corruptelae. Equidem scripturam Martialis, a Fruterio reiectam, probabilem, Tibulli unice veram habeo. Pindarus, orans, ut Psaumidi senectus contingat tranquilla ad finem usque vitae, simili utitur orationis inversione, scribens Ol. V. 48. σέ τ', Ὀλυμπιόνικε. Ποσειδανίοισιν ἵπποις ἐπιτερπόμενον, φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν. —

6. Assiduo *luceat igne focus.* Magnus librorum consensus est in lectione *assiduo.* Accedunt veteres Grammatici, codices certe istos, qui *exiguo* servant, aetate et auctoritate longe superantes, Marius Victorinus p. 2583. Atilius Fortunatianus p. 2679. Censorinus Fragm. de Metris p. 2725. et 28. quibus locis Tibulli versus quinquies descriptus legitur, servata semper lectione *assiduo.* Verum Heynius, cui accedit Vossius: *exiguo*, inquit, *igne* se commendat, ne bis occurrat intra paucos versus vox *assiduus.* Hoc profecto argumentum nullius instar momenti habet, quandoquidem infra v. 39—42. eodem spatio interiecto, deinceps ponuntur *antiquus — antiquo.* At ita fortasse paupertatis notio melius declaratur. Quasi vero Tibullus omnium se mortalium pauperrimum dici haberique voluerit, is cui et alia contigerant

abunde, *Et domus et victus, non deficiente crumena.* Quaerere autem vim sententiae in pronomine *meus*, quae Vossii ratio est, id agi statuentis, ut *proprius* focus luceat igne quamvis *exiguo*, hoc quidem non magis in hunc locum convenit, quam in similem illum Ovidii XI. Epist. 104. *Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae*, Ut meus *ex isto* luceat igne *rogus.* Cadit totum sententiae pondus in adiectivum: *Dum meus* assiduo *luceat igne focus.* Quibus verbis universe, ut *perennis* sit domestica felicitas, optat Tibullus. Aeschylus Agam. 1445. (26.) Οὔ μοι Φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν, Ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίας ἐμῆς Αἴγισθος, ὡς τὸ πρόσθεν εὖ φρενῶν ἐμοί. Nempe *focus extinctus* ut summae paupertatis indicium est, ita etiam summi moeroris. Hinc idem Aeschylus Choeph. 625. ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων ponit de laesa coniugii fide ortoque inde domestico luctu. Ovidius I. Trist. 3. 43. *Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis Contigit* extinctos *ore tremente* focos. Variant ibi quidem libri, aliis *exstructos*, aliis *aeternos* vel *externos* substituentibus. Sed Heinsius, *Extincti*, inquit, *foci* recte se habent. Nam ignis extinguebatur in exilium ituris. Iuvenalis III. 214. *Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.* Quem locum illustrat Kirchmannus IV. de Fun. Rom. c. 11. — Iam focus *exiguo* igne *lucere* nec commode satis dicitur, nec rebus Tibulli convenienter. Haec exiguitas potius caderet in chorum illum Aristophanis Pac. 440. idem votum hoc modo exprimentem: μὴ λαβεῖν ποτ' ἀσπίδα. Μὰ Δί', ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ διάγειν με τὸν βίον, Ἔχοντ' ἑταίραν καὶ σκαλεύοντ' ἄνθρακας. Vide igitur, ne res melius procedat, si ista sic reciprocentur: Lectio *assiduo* vel propter repetitionem vocis retinenda est. Suaviter enim focus Tibulli *assiduo igne* lucens opponitur *assiduo* militis *labori.* Deinde *exiguus ignis* designaret hominem, in magna inopia viventem, qualem describit Leonidas Tarent. ep. LV. κενεή σε περιστέψαιτο καλιὴ, Ἣν θάλποι μικκὸν πῦρ ἀναναιόμενον — quod a Tibulli conditione alienum est. Accedit, quod etiam a Statio I. Silv. 2. 255. felix praedicatur *divesque* foco lucente *Tibullus*, et a Martiale in iis, vitam quae faciunt beatio-

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos

rem, referuntur *Res* non parta labore, *sed relicta*, *Non ingratus ager*, focus perennis.

7—8. Propertius III. 17. 15. *Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles.* Scaliger huic disticho praeposuit illud, quod sequitur, *Nec Spes destituat* — statuens, hoc cum superiore ita cohaerere: dum meus focus assidue luceat, nec seges eludat sementem. Addit ille, Quam bene haec duo disticha inter sé coagmentata sint, quid melius probaverit, quam absurditas illa, quam efficiebat interrupta sententia interiectum distichon, *Ipse seram.* — Hoc in errorem coniecit Heynium, qui, etsi pristinum servavit versuum ordinem, longius tamen Scaligero progressus contendit, distichon hoc pro fragmento a caeteris diverso habendum esse. Nihil profecto minus. Antea Tibullus dixerat, secuturum se in posterum esse *vitam inertem*, hoc est, a re militari longe remotam. Quo sensu infra v. 57. repetit: *Non ego laudari curo, mea Delia. Tecum Dummodo sim, quaeso,* segnis inersque *vocer.* Et sic poeta ab Horatio laudatur II. Ep. 1. 124. Militiae *quamquam* piger et malus, *utilis urbi.* Iam ut declaret Tibullus, se tamen in otio de negotiis cogitare, illi vitae inertiae nunc opponit, quibus se in posterum daturus sit, rei rusticae curas, primo quidem commemorans arborum, in primis *vitium*, culturam v. 7—24. deinde arationem et pecuariam v. 25—34. utrobique fretus pietate erga deos, laeta omnia portendente. Hunc planum facilemque sententiarum ordinem vide, quam misere perturbaverit Scaliger, ima summis miscens.

9. Verbum *destituat* hic absolute ponitur, ut in eadem locutione apud Liv. I. 41. *Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiicit: simul quae curando vulneri opus sunt, tamquam spes subesset, sedulo comparat, simul* si destituat spes, *alia praesidia molitur.* Lucanus II. 727. *lassata triumphis* Destituit *fortuna tuis.* Quem lo-

Praebeat et pleno pinguia musta lacu. 10
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris

cum ut docte illustrat, ita egregie contra Bentleium, *triumphos tuos* legentem, defendit Ruhnkenius ad Velleium II. 69. Neque reperias, *quos aut prohior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius* destituerit, *quam Brutum et Cassium.* Cuius loci initium me admonet, ut de nexu huius distichi cum posteriore aliquid addam. Nempe verba: *Nec Spes destituat* — non ita accipienda videntur, quemadmodum Scaliger caeterique interpretes, quos viderim, omnes acceperunt, quasi haec esset formula precantis vel optantis, sed potius hoc sensu: *Nec Spes facile destituerit, sed* — Cuius fiduciae caussam adferens Tibullus, continuo scribit: *Nam veneror* etc. Prior ratio omnem haec inter se conciliandi spem praecidit.

10. Balbus c. 19. p. 155. ed. Retz. *Nec madido pressit* pinguia musta *pede.* Pinguia musta sumsit a Tibullo I. 1. 10. ubi quod Heinsius tentabat *spumea*, haud scio an Propertianae orationi magis conveniret, qui III. 15. (17.) 17. *Dummodo purpureo* spument *mihi dolia* musto, *Et nova pressantes inquinet uva pedes.* Tibulliana simplicitas amat proprietatem: ut *vinum pingue* dicitur Horatio II. Serm. 4. 65. Conf. Targam ad Cels. II. 18. n. 74. unde noster p. 157. med. *pinguia vina.* SANTEN. p. 1820. Balbus expressit Tibull. I. 5. 24. Pressaque *veloci candida* musta pede. Ubi in nonnullis libris legitur *pinguia musta*, quod reposuit Brouckhusius.

11. Domitius Calderinus Elucubrat. p. 2. hunc locum comparans cum Propert. I. 4. 23. legit *in agro.* Muretus laudat Xenoph. I. Memor. I. 14. Adde Lucian. Alexandr. 30. T. II. p. 237. de Rutiliano: εἰ μόνον ἀληλιμμένον που λίθον ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προσπίπτων ἀεὶ καὶ προσκυνῶν. Stipes *desertus* non est, ut recte Vossius monet, *defixus*, quae Broukhusii explicatio est, sed in loco deserto h. e. infrequente positus. Moschus III. 21. Οὐκ ἔτ' ἐρημαίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ἄδει.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0018

Seu vetus in trivio florea serta lapis.
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri

V. 19. *pauperis, agri* —

13—14. Horatius II. Serm. 5. 12. *dulcia* poma, Et quoscunque feret *cultus tibi fundus honores*, Ante Larem *gustet venerabilior Lare dives.*

19. *Nunc pauperis agri Custodes.* Exc. Lips. *horti:* forsitan e Virgil. Ecl. VII. 34. *custos es pauperis horti.* Locum Tibulli imitatur auctor carminis 83. in Priap. *Aerari* quondam *custos*, nunc *cultor agelli.* Sed maior suavitas inest in illa adverbiorum structura, qua usus est Tibullus etiam III. 1. 23. *Haec tibi vir* quondam, nunc *frater, casta Neaera, Mittit et accipias munera parva, rogat.* Cicero pro Sull. 1. *in caeteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque notam omnibus* quondam, nunc *quasi intermissam agnoscerent.* Propertius II. 28. 61. *Redde etiam excubias divae* nunc, ante *iuvencae.* Euripides Hec. 60. νὺν ὁμόδουλον, πρόσθε δ' ἄνασσαν. Similiter *post et nunc* coniungit auctor epigrammatis in Ardeatis templi pictorem apud Plin. H. N. XXXV. 37. *Dignis digna loca picturis condecoravit Reginae Iunoni' Supremi coniugi' templum Marcus Ludius Helotas Aetolia oriundus, Quem* nunc et post semper *ob artem hanc Ardea laudat.* Qui locus satis firmat ve-

Custodes, fertis munera vestra, Lares. 20

terem lectionem in fragmento Ennii apud Cic. I. de Offic. 24. 11. *Unus homo nobis cunctando restituit rem. Non ponebat enim rumores ante salutem. Ergo* postque magisque *viri* nunc *gloria claret.* Ubi Muretus VI. Var. Lect. c. 14. perperam reposuit: *Ergo* magisque magisque *viri.* Vide Santenium ad Catulli El. ad Manl. 48. Hinc illustrandus est locus difficilis Pindari IV. Pyth. 113. ἦ μάλα δὴ μετὰ καὶ νῦν, ὥστε Φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ, παισὶ τούτου (τούτοις) ὀγδόον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας. Hic particulam μετὰ non esse coniungendam cum voce παισὶ, vidit Hermannus. Sed locum unice illustrat Ennius. — Ad rem ipsam pertinet locus Horatii II. Serm. 2. 132. Nunc *ager Umbreni sub nomine*, nuper *Ofelli Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum Nunc mihi, nunc alii.* Quae lectio longe praeferenda videtur Bentleianae. Non ille memor erat epigrammatis graeci, quod legitur apud Scholiasten Luciani Nigrin. 26. T. I. p. 66. Anal. Brunck. T. III. p. 238. Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου· Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον. Καὶ γὰρ κεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος Οἴεται, εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ Τύχης.

20. *Fertis munera vestra.* Haec est librorum lectio tantum non omnium. Cuius elegantiam non capientes editores primi substituerunt *nostra. Fertis munera vestra* est, iure quodam vestro aufertis, accipitis munera *vobis debita.* Illud graece dicitur φέρειν, hoc φέρεσθαι. Xenophon Oecon. I. 4. νὴ Δία, καὶ πολύν γε μισθὸν, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, φέροιτ' ἄν, εἰ δύναιτο οἶκον παραλαβὼν τελεῖν τε ὅσα δεῖ, καὶ περιουσίαν ποιῶν αὔξειν τὸν οἶκον. Ibid. §. 6. Γελοῖον μέν τ' ἂν εἴη, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, εἰ ὁ τοὺς ἐχθροὺς αὔξων πρόσετι καὶ μισθὸν τούτου φέροι. Ubi male Zeunius corrigit φέροιτο. Theocritus I. 128. Ἔνθ', ὦ ναξ, καὶ τάνδε φέρ' εὐπάκτοιο μελίπνευν Ἐκ καρῶ σύριγγα καλὰν, περὶ χεῖλος ἐλικτάν. Hic item

Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos,
Nunc agna exigui est hostia magna soli.

V. 21. *Tum.*

Reiskius perperam corrigit *φέρευ παχτοῖο*, probante Brunckio, non Valckenario: „nec ut praemium certaminis Pani, sed ut Deo suo moriens fistulam donabat Daphnis.“ Broukhusius laudat Virgil. V. Aen 245. de Cloantho victore, cui Aeneas *Vinaque et argenti magnum* dat ferre *talentum*. Quod accurate ita exprimit Orpheus Argon. 586. *Πυγμαχίης δὲ τάπηθ' ἁλιανθέα δῶκε φέρεσθαι Ἀθλοφόρῳ Πολυδεύκει· ὁ γὰρ κλυτὸν ἤρατο νῖκος.*

21. *Tunc vitula.* Non variant libri. Vossius tamen ut hoc loco, ita per totum librum *tum* reposuit, sequente consona qualicunque, v. c. I. 8. 45. *Tollere* tunc *cura est albos* a stirpe capillos. Qui versus ita legitur apud Propertium III. 25. 13. *Vellere* tum cupies *albos a stirpe capillos*. Hic tres Codices habent *tunc*, quod apud Tibullum, paucis exceptis, cuncti servant, idque utroque loco retinendum censeo. Apud Virgilium I. Georg. 388. vulgo editur, *Tum cornix*. At Nonius c. III. in *Pluvia* habet: *Tunc cornix*. E contrario apud Propertium I. 1. 3. sine ulla diversitate legitur: Tum mihi *constantis deiecit lumina fastus*. Idem optima mea exemplaria exhibent I. 9. 19. Tum magis *Armenias cupies accedere tigres*. Enimvero I. 7. 21. Tunc me *non humilem mirabere saepe poetam*. Ubi tamen duo Codd. Guarn. et Dresd. offerunt *Tum me* — quod reponendum videtur. Nam fieri potuit, ut pro diversitate consonae sequentis modo *tum* scriberetur modo *tunc*, idque more quodam Graecorum, quem caeteroquin non nisi in compositis verbis observare solebant Latini. De qua re eleganter scribit Priscianus p. 556. *Hanc autem mutationem litterarum sciendum est, quadam naturali fieri vocis ratione* propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus.

22. *Hostia magna.* Edd. veteres *hostia parva*. Muretus e li-

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io messes et bona vina date!

Iam modo non possum contentus vivere parvo, 25

V. 25. *Iam modo, iam.*

bris scriptis reposuit *magna*. Plautus Pseud. I. 3. 95. *Nolo victimas; agninis me extis placari volo.*

25. *Iam modo non possum.* Muretus, *modo non*, inquit, est μονονουχί· etsi sunt, qui aliter sentiant. — In his fuisse videtur Beroaldus, qui, nescio ubi, hanc dictionem perperam interpretatus est, teste Grammatico non Latino, sed, quod mireris, Graeco. Nempe Phavorinus ita scribit in v. Ἐξηπάτησε τὴν παρθένον. ἐξεπλάνησεν, μονονουχὶ ὑποσχόμενος ὄρη χρυσοῦ. (Terentius Phorm. I. 2. 18. *modo non montes auri pollicens.*) Χρῶνται παρὰ τοῖς Λατίνοις ταύτῃ τῇ φράσει Τερέντιος, Σουετόνιος καὶ Βαλλήριος, λέγοντες· μόδονον βὲλ ταντοῦμνον. ἀλλὰ τινὲς οὐκ εὐδόκιμοι ἐξηγηταὶ, καὶ κατὰ τὰ πρῶτα ὁ Βερόαλδος, τὸ ὅλον τῶν Ἑλληνικῶν γραμμάτων ἄπειρος, οὐ συνιεὶς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν, Λατινικὴν φράσιν διέφθειρεν. Hoc etiam pertinet ad Broukhusium, cum Brodaeo statuentem, alteram negationem deesse. Quod fieri nulla ratione potest. Nam si Tibullus ita intelligi voluisset, *non modo* non *possum contentus vivere parvo*, sibi ipse repugnaret: sin vero ita, Iam modo *non possum non*, oratio foret a Latinitate aliena. Nemo enim umquam *non possum* posuit pro *non possum non.* Vulpius locum ita explicat: „Non modo, inquit poeta, possum tenui victu contentus esse, quod antea non poteram: non tantum longis itineribus valedicere, rem augendi caussa susceptis; verum etiam in summa animi securitate indulgere otio, sedens aestate propter aquam sub arbore.“ Hoc si dicere volebat Tibullus, ecquid caussae fuisse dicemus, cur non potius scribe-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0022

ret, *Non modo iam possum?* Sed friget sententia, neque poetae tam eleganti convenit. Quid multa? Vitium hic locus procul dubio contraxit gravissimum, quo induci se passus est Heynius, ut versus 25 — 34. aliunde illatos esse contenderet. Libri tamen consentiunt, si discedas ab Excerpt. Scalig. *Quippe ego iam possum*, substituentibus — quae mera est interpolatio — et a Codd. Askew. et Guelferb. qui exhibent, *Iam modo nunc possum.* Cuiusmodi locum forsitan ob oculos habebat Bentleius, ita scribens ad Terent. Phorm. II. 3. 9. „Sed vide an Parasito minime stulto aut somnolento id conveniat, ut v. mox 40. tam cito immemor sit nominis, quod hic, id est, *modo iam nunc ante* memoraverat, *Stilphonis.*“ Guyetus quid conatus sit, vides. Exstat enim in medio contextu editionis Vossianae: *Iam modo, iam possum* — quam Tibulli esse scripturam, cras fortasse credam, non hodie. Nam adverbium *modo*, sic temere inculcatum, non nisi otiosum est orationis complementum. Equidem, qui similiter scripserit, neminem reperio praeter Sidonium Apollin. c. II. 545. *Nam* modo *nos* iam *festa vocant, et ad Ulpia poscunt Te fora, donabis quos libertate Quirites.* Quo tamen exemplo frustra sit, qui confirmari credat lectionem Guyeti. Ut nunc est, desideratur aliquid, quo repetita primariae sententiae propositio rite excitetur et amplificetur, v. c. *Iam volo, nam possum — Volo* saepe vim alacritatis habet et libentiae. Propertius II. 10. 9. medio in carmine: Nunc volo *subducto gravior procedere vultu.* Ubi vide Broukhusium. Cicero VIII. ad Attic. 9. *Ego Arpini* volo *esse pridie Kal. deinde* circum villulas nostras errare, *quas visurum me postea desperavi.* Sed hic in primis commemorandus est egregius Ciceronis locus I. de Offic. 20. quo totum huius carminis argumentum continetur: *Nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam* amare divitias: *nihil honestius magnificentiusque, quam* pecuniam contemnere, si non habeas; *si habeas, ad beneficientiam liberalitatemque conferre.* Cavenda etiam est gloriae cupiditas, *ut supra dixi.* — (Tibullus infra v. 57. *Non ego laudari curo.*) *Multi autem sunt et fuerunt, qui eam, quam dico tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se removerunt, ad otiumque perfugerunt. In his et nobilissimi philosophi longeque principes, et quidam*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0023

Nec semper longae deditus esse viae:
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra

homines severi et graves, qui nec populi nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque non nulli in agris, delectati re sua familiari. *His idem propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cuius proprium est,* sic vivere, ut velis. — Cum hac sententia cohaeret proverbialis illa, qua eleganter coniunguntur *velle* et *posse.* Terentius Andr. II. 1. 5. *Quaeso edepol, Charine, quando non potest id fieri, quod vis,* Id velis quod possit. C. *Nil volo aliud nisi Philumenam.* Caecilius in Plocio apud Donatum ad Terentii Andr. IV. 5. 10. *Vivas* ut possis, *quando nequis* ut velis. Plato Hipp. Mai. p. 175. ed. Heind. τοιαῦτα, ὦ Ἱππία, τὰ ἡμετερά ἐστιν, οὐχ οἷα βούλεταί τις, φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι, ἀλλ' οἷα δύναται. — Tractat hoc argumentum Persius Sat. V. 52. Velle *suum cuique est, nec voto vivitur uno.* Vs. 83. *An quisquam est alius liber, nisi* ducere vitam Cui licet ut voluit? *licet* ut volo *vivere.*

27. *Sed Canis aestivos* ortus *vitare.* Hanc lectionem ne dignam quidem habuit, quam commemoraret, Cyllenius, qui, quamvis in contextu Edd. Venet. 1491. 93. exstet *ortus*, tamen in Commentario bis profert, *aestivos aestus.* Eaedem voces confunduntur IV. 1. 65. de Cimmeriis: *Queis numquam candente dies apparuit* ortu. Ubi pauci libri habent *aestu*, quod arripuit Vossius, invito Tibullo, qui ibidem scribit similiter v. 157. *Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus.* Male etiam Bentleius ad Horat. I. Serm. 6. 126. corrigit *aestivos ictus.* Nam maximus ut splendor, ita etiam aestus tribuitur Caniculae *orienti.* Homer. Il. ε. 4. Δαΐε οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ, Ἀστερ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα Λαμπρὸν παμφαίνῃσι, λελουμένος Ὠκεανοῖο. Hunc locum imitatur Apollonius Rhod. III. 1228. Χρυσείην δ' ἐπὶ κρατὶ κόρυν θέτο τετραφάληρον, Λαμπομένην οἷόν τε περίτροχον ἔπλετο φέγγος Ἠελίου, ὅτε πρῶτον

Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,

V. 28. *rivum.*

ἀνέρχεται Ὠκεανοῖο. Vide Comment. de Orphei Argon. p. 30. Archilochus apud Plutarch. III. Symp. T. II. p. 658. Ἔλπομαι πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος καταυανεῖ, Ὀξὺς ἐκλάμπων· ut praeclare corrigit Wakefieldius V. Silv. Crit. p. 153. pro ἐλλάμπων. Aristophanes Pac. 304. Ἡμέρα γὰρ ἐξέλαμψεν ἥδε μισολάμαχος. Plato, qui fortasse ob oculos habebat laudatum Homeri locum, Symp. p. 172. ed. Bip. ἡ μὲν γὰρ ἐμὴ (σοφία) φαύλη τις ἂν εἴη καὶ ἀμφισβητήσιμος, ὥσπερ ὄναρ οὖσα· ἡ δὲ σὴ, λαμπρά τε καὶ πολλὴν ἐπίδοσιν ἔχουσα· ἦγε παρὰ σοῦ νέου ὄντος οὕτω σφόδρα ἐξέλαμψε καὶ ἐκφανὴς ἐγένετο πρώην ἐν μάρτυσι τῶν Ἑλλήνων πλέοσι ἢ τρισμυρίοις. Adde Apollonium Rhod. III. 957. quem locum perperam cum Homer. Il. ε. 4. comparat Brunckius, praeeunte Heynio ad Virgil. VIII. Aen. 589. — *Vitare* aestivos ortus dictum est, ut apud Homer. Il. π. 213. βίας ἀνέμων ἀλεείνειν. Ubi Heynius, *Nova* vi vox ultima posita pro *arcens* non *evitans*. Atqui eodem sensu Latini ponunt *vitare*. Lucretius V. 954. *Et frutices inter condebant squalida membra*, Verbera ventorum vitare *imbresque coacti*. „Ἀνέμων βίας diligunt Hellenistae," ut scribit Boeckhius Graec. Tragic. Princ. p. 149. Diligit etiam Homerus. Il. ψ. 713.

28. *Ad rivos.* Haec lectio nemini adhuc suspecta fuit, nisi Burmanno, corrigenti *rivum* vel *ripam*. Illud placuit Vossio, errorem ortum esse statuenti e superioris versus voce *aestivos*. Cuius generis emendationes saepe protulit v. c. I. 4. 11. Utrumque bene habet, sed *rivos* praeferendum est propter librorum consensum. Lucretius II. 29. *Attamen inter se prostrati in gramine molli* Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae, *Non magnis opibus iucunde corpora curant.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0025

Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite; de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

V. 31. *foetumve.* 34. Omittitur *est.* 36. *Palen.*

34. *de magna* est — Verbum *est* aberat a quibusdam Statianis et ab uno meo, sed ego non ausim delere. Saepe noster sic solet, et quidem in penthemimeri. Tamen valde placet scriptura unius Heinsiani, *de magno praeda petenda grege est.* Broukh. Praestat haud dubie, verbum in finem versus reiicere, quam prorsus eiicere, quod, ubicunque fieri per metrum potuit, Vossius fecit, sic censens orationem evadere ποιητικωτέραν, v. c. I. 4. 4. *Non tibi barba nitet, non tibi culta coma* est. Ibid. v. 32. *Qui prior Eleo* est *carcere missus equus.* Vereor, ne quis in posterum, hac fretus auctoritate, v. c. apud Propert. I. 8. 24. edat: *Dicite, quo portu clausa puella mea.* V. 26. *Et licet Eleis, illa futura mea.* Neque tamen opus est, imitari Broukhusium, quum syllabae, in vocalem brevem desinentes, longe sint frequentiores in fine pentametri, quam existimasse videtur Hermannus Metr. p. 143. Caeterum Heynius scribit: Post hunc versum aliqua intercidisse nullus dubito. Reliqua bene cohaerent usque ad finem Elegiae. — Ego, quamvis quaerens, nullum reperire possum lacunae vestigium.

36. *Palen*, sicut in quibusdam libris legitur Statianis, editorum nemo in ordinem recepit, praeter Vossium. Atqui graecas terminationes non nisi in graecis nominibus servare solent optimi auctores.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0026

Adsitis, Divi, neu vos de paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.

Quare, ubi Balbus quoque *Palen* scripsit carm. I. p. 117. Santenius breviter sed docte p. 1789. *Graecam*, inquit, *formam huius vocis equidem ignoro*. Editur quidem hodie etiam in Ovid. IV. Fast. 746. *Silvicolam tepido lacte precare* Palen. Sed Heinsius in commentario sine ullo varietatis indicio legit *Palem*. Simile mendum illatum video a non nemine Virgil. Ecl. I. 62. *Aut* Ararin *Parthus bibet aut Germania* Tigrin. Satis constat e Charisii annotatione p. 69. Virgilium scripsisse *Ararim* et *Tigrim*, sicut *Irim* et *Parim*; quod confirmant versum hunc citantes Grammatici Priscianus p. 989. et Maximus Victorinus p. 1962.

37—40. *Adsitis, Divi.* Sic infra II. 1. 81. *Sancte, veni dapibus festis.* Hic comparandus est locus classicus Hom. Od. η. 201.

αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι, ἔνθα περ ἡμεῖς.

Edd. Venet. 1491. 93. *neu vos* e *paupere mensa*. Broukhusius *de* reposuit e libris Statianis et suis *Dona* de *mensa et* e *fictilibus* dicuntur, sicut apud Terentium Eun. III. 2. 11. *dona a Phaedria;* Propert. III. 7. 14. *spolia ex illo.* IV. 10. 11. *spolia ex humeris.* — Scaliger ex infimae vetustatis, quem vocat, Codice assumpsit *e* parvis *fictilibus* pro *puris*. Sed recte Broukhusius, Non quam *parva* essent illa vasa referebat, sed quam essent *pura*. De vasis fictilibus, quibus pro simplicitate prisca diis libare veteres Latini solebant, idem multa congessit scriptorum loca. Addam aliquot Graecorum exempla. Eratosthenes in Epistola ad Hegetorem Lacedaemonium apud Athen. XI. p. 482. B. κύαθῳ μὲν οὖν οὐδὲν ἐχρῶντο τότε, οὐδὲ κοτύλῃ. Κρατῆρα γὰρ ἵστασαν (ἔστησαν, Macrob. V. Saturn. 21.) τοῖς θεοῖς οὐκ ἀργυροῦν, οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τῆς Κωλιάδος γῆς. Patet idem e narratione Herodoti V. 88. p. 416. de Argivis et Aeginetis, statuentibus: Ἀττικὸν δὲ μήτε τι ἄλλο προσφέ-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0027

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto. 40

ρειν πρὸς τὸ ἱρὸν, μήτε κέραμεν, ἀλλ' ἐκ χυτρίδων ἐπιχωριέων νόμον τολοιπὸν αὐτόθι εἶναι πίνειν. Ubi vide Valckenarium. Sed hic mos paullatim in desuetudinem venit. Laudat Broukhusius Cicer. IV. in Verr. 21. domus *erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in* domo *haec non essent, etiamsi praeterea nihil esset argenti; patella grandis cum sigillis ac simulacris Deorum; patera, qua mulieres ad res divinas uterentur; turribulum.* Hic locus in mentem revocat fragmentum Sophronis apud Athen. VI. p. 230. A. Σώφρων δ' ἐν Γυναικείοις Μίμοις φησί· Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐμάρμαιρε Δοκία. Quod fragmentum misere corruptum nuper admodum (in Comment. de inscript. Vasculi Locris in Ital. reperti p. 4.) ita emendavimus: Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐγάργαιρε Ἁ οἰκία, *aeneis vero et argenteis vasis* repleta erat domus. Hanc emendationem, sic satis certam, ita confirmant Scholiastes ad Aristoph. Acharn. v. 3. et Suidas in v. Ψαμμακοσιογάργαρα, nullus ut dubitationi relinquatur locus: καὶ τὰ Γάργαρα δὲ ἐπὶ πλήθους ἐτίθετο, ὡς ἐν Λημνίαις· Ἀνδρῶν ἐπακτῶν πᾶσ' ἐγάργαιρ' ἑστία. καὶ παρὰ Ἀριστομένει ἐν Βοηθοῖς· Ἔνδον γὰρ ἡμῖν γάργαρα. καὶ παρὰ Σώφρονι· Ἁ δὲ οἰκία τῶν ἀργυρωμάτων γάργαιρε. Miror Stephanum, qui utrumque Sophronis locum ob oculos habebat in Indice Thes. Gr. Ling. sub vocibus Γαργαίρω et Μαρμαίρω, alterum ex altero non emendasse, nec vidisse, unum hunc eundemque esse locum. Quod mihi certe fit probabile, cogitanti, nullius scriptoris verba magis perturbasse grammaticos, quam Sophronis.

39 *Fictilia pocula.* His infra I. 10. 7. substituuntur *lignea* pocula: *nec bella fuerunt* Faginus *adstabat quum* scyphus *ante dapes.* Sed lutum sive argillam primam fuisse materiam, e qua opera conficere

Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
Si licet, et solito membra levare toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem,

V. 44. *referre.*

tentaret rudis artium aetas, constans est aliorum opinio. Hinc ipsi Vulcano apud Hesiodum Opp. 60. tribuitur ars non fabrilis, sed figlina, γαΐαν ὔδει φύρειν. Qui locus non obversabatur Wesselingio de Aristobulo p. 133. Hac via inclaruit Prometheus, dictus ob hoc a Phaedro IV. Fab. 14. 3. *auctor vulgi fictilis* Qui, simul offendit ad fortunam, *frangitur.* Quo nihil dici fingique potest elegantius.

43—44. *Parva seges satis est.* Exc. Pocchi cum paucis libris, *Parva satis mensa est.* Sed *parva seges* opponitur fructibus, *Quos tulit antiquo* condita messis *avo.* Sequitur, *requiescere lecto* — et *solito membra levare toro.* Qua eiusdem sententiae amplificatione nihil usitatius est classicis auctoribus, in primis Homero, cuius notissima sunt exempla Il. κ. 2. Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ. Il. η. 482. Κοιμήσαντ' ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο. Vide Comment. de Orph. Argon. p. 37. Verum Fruterius, hanc priscae simplicitatis ubertatem parum advertens, pro *lecto* reposuit *tecto;* probante Broukhusio, otiosam enim esse *lecti* vocem, quum sequatur *toro:* alius *levare* mutavit in *referre*, quoniam praecessit *requiescere lecto,* quod parum differt a locutione, *membra levare toro.* Sic veteres scriptores interpolantur. Nihil recepta lectione verius est, nihil sanius. Horatius II. Ep. I. 139. *Agricolae prisci, fortes* parvoque beati, Condita *post frumenta*, levantes *tempore festo* Corpus *et ipsum animum spe finis dura ferentem, Cum sociis operum pueris et coniuge fida Tellurem porco, Silvanum lacte piabant, Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0029

Et dominam tenero detinuisse sinu!
Aut gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre iuvante, sequi!
Hoc mihi contingat! Sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.

V. 47. *quom.* 50. *Hyadas.*

46. *Detinuisse sinu.* Alii libri *continuisse.* Et ita est in Edd. Venet. 1491. 93. Cyllenius tamen in Commentario non nisi *detinuisse* habet. Quam lectionem confirmant Codd. Palat. Corvin. Monac. Vossiani duo, Askew. et Excerpt. Colot.

48. *Imbre iuvante.* Edd. veteres *igne*, quod primus eiecit Scaliger, praeeunte tamen Mureto. Nam etsi utramque lectionem ferri posse putabat Muretus, tamen, quod in libris quibusdam invenerat, *imbre iuvante*, egregie confirmavit loco Sophoclis, qui legitur apud Ciceronem II. ad Attic. 7. Nunc *vero quum cogar exire de navi, non abiectis sed receptis gubernaculis*, cupio *istorum naufragia ex terra intueri;* cupio, *ut ait tuus amicus Sophocles*, καὶ ὑπὸ στέγῃ Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί. Quae ultima verba recte Grotius vertit, *curis solutus.* Nam εὕδειν dicitur de homine otioso, eodemque, ut Tibullus reddit, *securo.* Vide Schaeferum ad Sophoclis Oed. Col. 307. Hinc recte nuper vir doctus defendit lectionem Theocrit. II. 126. Εὗδον δ', εἴ κε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλησα. Cum Tibulli loco conferendus etiam est Aristophan. Pac. 1126—1139. Οὐ γὰρ ἔσθ' ἥδιον, ἢ τυχεῖν μὲν ἤδη σπαρμένα, Τὸν θεὸν δ' ἐπιψεκάζειν — Ciceronis loco uti poteram supra ad v. 25.

49—50. Ovidius III. Amor. 2. 9. Hoc mihi contingat: *sacro de carcere missis Insistam forti mente vehendus equis.* Ubi Heinsius supplet *si*, item ut apud Albinov. El. III. 15. Quae ratio huic Ti-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0030

O quantum est auri potius pereatque smaragdi,

V. 51. *zmaragdi.*

bulli loco accommodari nequit. — *Sit dives iure.* Exc. Scalig. et Commel. *rure.* Obstat Propertius III. 4. 21. *Praeda sit haec illis, quorum* meruere *labores.* — *Tristes pluvias.* Heinsius, Forte *tristes Hyadas*, „nam *imbre* praecesserat.“ Eodem argumento utitur supra v. 48. *imbre iuvante:* Minus placet *iuvante*, „quia praecessit *quam iuvat*, forte *fovente.*“ Hanc viam ingressus Vossius infinitis paene locis Tibulli gratiam nativamque simplicitatem detraxit, ut I. 3. (4.) 63. *Hic iuvenum series teneris* immixta *puellis Ludit, et assidue proelia* miscet *Amor.* I. 6. (7) 79. *Firmaque* conductis *adnectit licia telis, Tractaque de niveo vellere* ducta *putat.* II. 4. (5) 35. *Heu, quicunque* dedit *formam coelestis avarae, Quale bonum multis* addidit *ille malis.* III. 4. 36. *Namque haec* in nitido corpore *vestis erat.* Sic scripsit Tibullus. At ille cum aliis de caussis, tum quod versu 30. praecessit *in niveo corpore*, de coniectura edidit: *Ima videbatur talis illudere palla, Quae* cocco nitido corpora *vestierat.* Nihil vidi magis! Nihil dicam amplius!

51. *Potius pereatque smaragdi.* Hanc verborum structuram ex uno Statiano libro, cui consentiunt Askew. et Bern. restituit Broukhusius. Vulgo *pereat potiusque.* Sed copula illic elegantius traiicitur et rectius verbo, quam adverbio subiungitur. Callimachus Del. 323. ἃ Δηλιὰς εὕρετο νύμφη Παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν. Ubi Stephanus apte comparat Tibulli I. 3. 56. *Messalam terra dum sequiturque mari.* Heinsius, Lege *pereat pereatque smaragdi:* ut *potius* subintelligatur. Perperam! — *Smaragdi* exprimunt veteres Editiones, nisi fallor, omnes. Alteram scripturam *zmaragdi* operose defendit Vossius, duce Broukhusio ad Propert. II. 13. (16) 43. ubi libri scripti sine exceptione servant *smaragdi.* Tamen Broukhusio obtemperavit Burmannus. Ergo audiamus Priscianum p. 564. *S quoque sequente m, ut Smyrna, smaragdus.* Nam vitium faciunt qui Z ante

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0031

Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum

V. 57. *curo! Mea Delia, tecum.*

m scribunt. Numquam enim duplex in capite syllabae potest cum alia iungi consonante. *Lucanus quoque hoc ostendit in* X. (121.) Terga sedent crebro maculas distincta smaragdo. *Nam si esset* z *ante* m, subtrahi in metro minime posset, nec staret versus. *S enim in metro saepe vim consonantis amittit.* „Idque adeo verum est, ut vetustiores Grammatici illius apud Latinos scribendi moris omnino nullam fecerint mentionem.“ Hemsterhusius ad Lucian. T. I. p. 94. — Sed hinc non efficitur, Meleagrum epigr. XCI. scripsisse τοξεῦ, quod nuper temere in contextum illatum est, sed scripsit haud dubie: οὔ με λέληθας, Τοξότα, Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος.

55. Balbus c. 80. p. 179. *Dicam equidem, cultae retinent te vincla puellae.* Probat cum Heynio et duobus antiquis meis codicibus vulgatam Tibulli lectionem I. 1. 55. *Me* retinent *vinctum formosae* vincla *puellae.* Tertius codex recentior: *Me* retinet *vinctum formosae* cura *puellae.* SANTEN. p. 1842. Lectionem *retinet cura* servat etiam unus codex Broukhusii. Nec ea per se contemnenda est. Propertius I. 1. 35. *sua quemque* moretur Cura, *neque adsueto mutet amore locum.* Idem I. 8. 1. *Tune igitur demens? nec te mea* cura moratur? Horatius I. Ep. 14. 6. *Me quamvis Lamiae pietas et* cura moratur. — Verum eodem iure Tibullus scribere potuit *vinctum vincla retinent*, quo Homerus v. c. Il. ε. 386. δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ. Edd. Venet. 1491. 93. *victum.*

57—58. *Non ego laudari curo.* Pauci libri *cupio*, quod inde

Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer,
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

61. *mea Delia.*

manavit in veteres editiones, praeter Vicent. quae habet *curo*. Nec tamen prior lectio spernenda est. Cicero I. de Offic. 19. *Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est*, gloriae cupiditate. *Qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui*, laboribus susceptis periculisque aditis, *non quasi mercedem rerum gestarum* desideret *gloriam*. Guyetus malebat *quaero*. Verba, *mea Delia*, ita interiecta sunt, ut nescias, utrum ad prius membrum referenda sint, an ad posterius; similiter ut apud Theocritum III. 18. Ἄλφιτά τοι πρῶτον πυρὶ τάκεται· ἀλλ' ἐπίπασσε — Θέστυλι δειλαία — πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι; ubi alii aliter interpungunt. Nec multum interest. Tamen apud Tibullum sequi malim veterum editorum interpunctionem, Heinsio etiam probatam ad Ovid. II. Am. 16. 20. quam Vossii, ne vi sua priventur illa: Tecum *dummodo sim*. Caeterum Scaliger huic disticho subiunxit El. 2. 71 — 78. *Ipse boves, modo sim* tecum, mea Delia, *possim Iungere* — eamque iterationem vicinae in proximo compellationis dulcem et blandam vocat Broukhusius, non ego. Nec illa probari potest huius compellationis iteratio, quam v. 61. proposuit Beckius, assumpsit Vossius, *Flebis et arsuro positum*, mea Delia, *lecto*, pro *positum me* — cuius ego mutationis caussam nullam reperio.

62. Propertius I. 5. 15. *Et tremulus* maestis *orietur* fletibus *horror*. Ubi *maesti fletus* displicent Burmanno, nec probantur censori Bibl. Crit. Vol. II. P. II. p. 7. scribenti, Frigent sine dubio *maesti fletus*: neque habet vim hoc attributum, quum *fletus* non nisi maesti esse

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0033

Flebis — non tua sunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores.

queant. — Hanc animadversionem elevant *tristes lacrimae* Tibulli, et *maestae querelae* I. 8. 53. Virgil. IV. Georg. 515. maestis *late loca* questibus *implet.* XI. Aen. 38. maesto*que inmugit regia* luctu. Vel sic tamen egregia est Burmanni emendatio: *Et tremulus* mixtis *orietur* fletibus *horror;* quam hoc ipso Tibulli loco confirmat vir doctissimus. Vide Bentleium ad Horat. IV. 1. 22. Aeschylus Sept. ad. Theb. 241. (224.) Ποταίνιον κλύουσα πάταγον ἅμα Ταρβοσύνῳ φόβῳ τάνδ' ἐς ἀκρόπτολιν Τίμιον ἕδος, ἰκόμαν. Ubi in cod. Med. D. pro ἅμα legitur ἄμμιγα. Sophocles Trach. 517. Τότ' ἦν χερὸς, ἦν δὲ τόξων Πάταγος, ταυρείων τ' Ἀναμιγδα κεράτων.

63—64. *Duro praecordia ferro Vincta.* Guelf. et Voss. 3. *Iuncta.* Edd. Venet. 1491. 93. *Victa.* Transtulit Tibullus ad animum humanitati patentem, quod de corpore vulneribus obnoxio dixit Homerus Il. δ. 509.

ὄρνυσθ', ἱππόδαμοι Τρῶες, μήδ' εἴκετε χάρμης
Ἀργείοις! ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρὼς, οὐδὲ σίδηρος,
χαλκὸν ἀναστέσθαι ταμεσίχροα βαλλομένοισιν.

Ferro vincta praecordia dicuntur ut apud Homerum Il. ο. 713. φάσγανα μελάνδετα, ubi Heynius comparat hunc Tibulli locum, laudatque Aeschyli Sept. ad. Theb. 43. σάκος μελάνδετον, *ferro obductum.* Sic Tibullus I. 9. 69. auro vincire *lacertos.* Iam continuans translatio-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0034

Iam veniet tenebris Mors adoperta caput. 70
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,

nem addit, *nec in tenero* stat *tibi corde silex.* Ubi non sufficit, si *stat* simpliciter reddas *est*, ut Heynius, vel si compares, ut Vossius, Virgil. Ecl. II. 26. *quum placidum ventis* staret *mare*: quod prorsus alienum. Illud huc pertinet, quod legitur VI. Aen. 470. de Didone: *Nec magis incepto vultum sermone movetur, Quam si* dura silex *aut* stet *Marpesia cautes.* Vel potius illud commentarii instar habens Tibulli II. 4. 7. *O ego, ne possim tales* sentire dolores, *Quam mallem in gelidis montibus esse* lapis: Stare *vel insanis* cautes *obnoxia ventis, Naufraga quam vasti tunderet unda maris!*

70. *Tenebris Mors adoperta caput.* Vide, quae dicentur infra ad I. 3. 50. *nunc leti mille* repente *viae.* Quam lectionem satis firmat egregius Neoptolemi locus apud Diodor. Sic. XVI. 92. cuius particulam descripsit Heynius, nos alia de caussa totum dabimus: Φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας· Φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι δόμων δόμους, ἀφροσύνᾳ πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι. Ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπουν κέλευθον ἔργῳ σκοτίαν, ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα, μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἀιδας. Neoptolemo igitur convenit partim cum Claudiano, cuius locum supra descripsimus ad v. 1. partim cum Pindaro, Theocrito, Tibullo, aliis. Nam quod ille dicit μεγάλων πεδίων ἀρούρας, id Pindarus vocat πεδίον ἀπέραντον, Theocritus μεγάλας ἀρούρας et πλατέα πεδία XVII. 102. Appianus I. de Bell. Civ. 7. πεδία μακρὰ, Horatius *multam tellurem*, Tibullus *immensos campos*, nemo *iugera magna.*

71. *Nec amare decebit.* Pauci libri *nec amare licebit.* Quod reposuit Gebhardus. Eadem verba confunduntur apud Terentium Ad. I. 2. 27. *et illum tu tuum, si esses homo, Sineres nunc facere*, dum per aetatem licet, *Potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras,*

Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet et rixas inseruisse iuvat.

Alieniore aetate *post faceret tamen.* Ubi duo libri *decet* pro *licet.* Sed ut apud Terentium legere praestat *licet*, ita apud Tibullum *decebit.* Vide Bentleium ad Horat. II. Ep. 2. 215. *Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo Rideat et pulset lasciva* decentius *aetas.* Hinc Tibullus mox v. 73. *dum frangere postes* Non pudet — et I. 2. 91. de sene: *Et sibi* blanditias *tremula* componere *voce, Et manibus canas fingere velle comas: Stare* nec *ante fores* puduit — Menander Thesauro apud Clericum p. 84. Τῆς οὐσίας ὅσοις μὲν οὖν πρόσω ἔχει, Νέοις ἔτ' οὖσι τοῦτο προστάττειν ποιεῖν. Οἱ δ' εἰς τὸ γῆρας ἀναβολὰς ποιούμενοι, Οὗτοι προσαποτίνουσ' ὠρίας τόκους. Sic legit Bentleius p. 32. Melius fortasse Pauwius p. 36. Οὔ τοι προσαποτίνουσιν ὡραίους τόκους.

72. Libri veteres, teste Mureto, *capite* non *capiti.* E contrario apud Catullum El. ad Manl. 124. libri veteres tantum non omnes: *Suscitat a* cano *vulturium* capiti. Nempe Veteres, monente Santenio, sexto casu promiscue *capiti* scribebant et *capite.* Frequentatur tamen hoc magis quam illud. Plautus Asin. V. 2. 84. Cano capite, *te cuculum uxor ex lustris rapit.* Casin. III. 1. 4. Cano capite! *aetate aliena! coaddito ad compendium.* Et sic scribunt Terentius, Lucretius, alii. Persius I. 83. *Nilne pudet* capiti *non posse pericula* cano Pellere, *quin tepidum hoc optes audire,* decenter? Ubi *capiti* fortasse tertius est casus. Pindarus Ol. I. 91. ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον, τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν, εὐφροσύνας ἀλάταις.

74. *Rixas inseruisse iuvat.* Libri Scheffer. et Bern. *conseruisse.* Reliqui libri scripti editique *inseruisse.* Heinsius ad Ovid. I. Fast. 287. corrigit *serae* pro *iuvat,* quod nemo probaverit.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0036

Hic ego dux milesque bonus. Vos, signa tubaeque,
Ite procul! cupidis vulnera ferte viris.
Ferte et opes. Ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

28. *Despiciam dites.* Vulgo *Dites despiciam.* Hoc Gebhardo placebat, illud Broukhusio, cui favet consuetudo Tibulli. I. 4. 82. *Deficiunt artes, deficiuntque doli.* Vulpius comparat similem sententiam Isocratis: περὶ μὲν τὴν τροφὴν τὴν καθ' ἡμέραν, οὔτ' ἐν ἐνδείαις οὔτ' ἐν ὑπερβολαῖς ἔσομαι. Alexis apud Athenaeum X. p. 419. C. Ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον· οὐθ' ὑπεργέμων Ἀπέρχομαι νῦν, οὔτε κενός, ἀλλ' ἡδέως Ἔχων ἐμαυτοῦ. Μνησίθεος γάρ φησι, δεῖν Φεύγειν ἁπάντων τὰς ὑπερβολὰς ἀεί.

PASCHATIS SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

IMMANUEL G. HUSCHKE

ELOQ. PROF. PUBL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

ILLUSTRATUR TIBULLI ELEGIA TERTIA.

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0039

ALBII TIBULLI

ELEGIA TERTIA.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei!
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.

V. 2. *tuque.*

1—2. *Ibitis, Messala.* Exquisita haec orationis structura, quam dixerim Homericam, fraudi interdum fuit viris doctissimis, ut Heathio ad Sophoclis Phil. 369. Ὦ σχέτλι', ἦ τολμήσατ' ἀντ' ἐμοῦ τινι Δοῦναι τὰ τεύχη τἀμά, πρὶν μαθεῖν ἐμοῦ; et Heumanno ad Virgilii IX. Aen. 525. *Vos*, o Calliope, *precor, adspirate canenti.* Ille corrigit σχέτλιοι, hic *Vos*, o Calliopae — Homerus Od. μ. 80. Μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδὲς Πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος τετραμμένον· ἦπερ ἂν ὑμεῖς Νῆα παραλλαφύρην ἰθύνετε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ. Neque vero primus versus a secundo separandus erat majore interpunctione, quae interrumpit orationis, paene dixeram Messalae comitumque iter. — Unus Passeratii liber *tuque.*

3. *ignotis-terris.* Perperam Broukhusius corrigit *tectis.* Virgilius V. Aen. 870. *Nudus in* ignota, *Palinure, iacebis* arena. Sed Tibullus ob oculos habuisse videtur, quem infra pressius imitando persequitur, Sophoclem El. 1136.

Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus!
Abstineas, Mors atra, precor! Non hic mihi mater,
Quae legat in maestos ossa perusta sinus;

νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς,
κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα·
κοὔτ' ἐν φίλῃσι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ
λουτροῖς ἐκόσμησ', οὔτε πυμφλέκτου πυρὸς
ἀνειλόμην, ὡς εἰκὸς, ἄθλιον βάρος.

4 *Abstineas - manus.* Hic locus notabilis est propter *manus Mortis*, quas nescio an debeat Tibullus, ut totam locutionem, Homero. Nam Il. φ. 548. Apollo adstans Agenori, ut mortem avertat,

ἐν μέν οἱ κραδίῃ θάρσος βάλε, πὰρ δέ οἱ αὐτὸς
ἔστη, ὅπως Θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι.

Ibi Heynius notans locutionis insolentiam addit in Observationibus, Barnesium emendasse κῆρας. Atqui haec non est emendatio Barnesii, sed lectio Eustathii, qui ne commemorat quidem χεῖρας, sed solas κῆρας, quas reposuit post Barnesium Wolfius. Nec tamen Eustathius offendit in simili loco Il. α. 97. de Apolline:

οὐδ' ὄγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει·

nec hoc dicendi genus ab usu Homerico abhorret. Quod Pindarus dicit Ol. II. 125. ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχήν· id Homerus exprimit Od. χ. 316. κακῶν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι. Sed longe insolentius, sincerum tamen illud est, quod scribit Pindarus de Achille Nem. III. 101. ὄφρα θαλατσίαις ἀνέμων ῥιπαῖσι πεμφθεὶς ὑπὸ Τροΐαν, δορίκτυπον ἀλαλὰν Λυκίων τε προσμένοι καὶ Φρυγῶν Δαρδάνων τε, καὶ ἐγχεσφόροις ἐπιμίξαις Αἰθιόπεσσι χεῖρας ἐν φρεσὶ πάξαιθ', ὅπως σφίσι μὴ κοίρανος ὀπίσω πάλιν οἶκαδ' ἀνεψιὸς ζαμενὴς Ἑλένοιο Μέμνων μόλοι. Quem locum omnium optime explanavit Heynius. Verum Hermannus, interpungens post χεῖρας, reliqua interpretatur, *ut eam animo infigeret sententiam*, ne Memnon rediret.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0042

„Nam, ut taceam, ἐπιμίξαις nudum poni non posse, recte quidem Nem. VII 83. dicitur ἔπαξε διὰ φρενῶν ξίφος, sed de manibus idem immane et foedum foret.“ Enimvero nec nudum ponitur ἐπιμίξαις, si quidem vox χεῖρας ad utrumque verbum referri debet, nec immane foedumve est, manibus tribuere quod manuum vi impingitur, si quidem eodem modo scribit Sophocles, poeta humanissimus, Ai. 97.

ἦ καὶ πρὸς Ἀτρείδαιν ἤχμασας χέρα;

Sed adeo insolens visa est haec dicendi figura viris doctis, ut, quoties occurreret, toties ei substituerent vel insolentiorem vel certe minus probabilem. Nam ut Marklandus Homero, ita Iacobsius Pindaro substituit κῆρας, Musgravius Sophocli ἥμαξας, quamvis Scholiastes explicet accurate ἤχμασας, σὺν αἰχμῇ ἐκίνησας. Monstra coniecturarum peperit, qui vel solus lectionum illarum sanitatem demonstrat, insignis Propertii locus I. 9. 29. de Amore:

Qui non ante patet, donec manus *attigit ossa.*

A quo loco corrigendo in posterum, spero, se abstinebunt Critici nostri. Sagittae manu mitti dicuntur, ut apud Sophoclem Trach. 565. Hercules in Nessum χερσὶν ἧκεν κομήτην ἰόν. Ergo hoc dicit Propertius: Amor non ante patet, quam *manus*, id est, *sagitta* manu eius emissa *attigit ossa.* Cum Homericis locis comparandus in primis est Sophoclis Ai. 50. ubi, quaerente Ulysse: Καὶ πῶς ἐπέσχε χεῖρα μαιμῶσαν φόνου; respondet Minerva: Ἐγώ σφ' ἀπείργω. Quae verba ita construenda sunt: καὶ πῶς ἐπέσχε φόνου χεῖρα μαιμῶσαν; *et quomodo* manum avidam *abstinuit* vel *cohibuit a caede?* Homerus Il. v. 75. et 77. de eodem Aiace: Οὕτω νῦν καὶ ἐμοὶ περὶ δούρατι χεῖρες ἄαπτοι Μαιμῶσιν. Ubi Eustathius, laudans locum Sophoclis, construit μαιμῶσαν φόνου. Vereor, ut recte. Aeschylus Suppl. 909. (895.) absolute: Μαιμᾷ πέλας δίπους ὄφις. Homerus Od. v. 266. Ὑμεῖς δέ, μνηστῆρες, ἐπίσχετε θυμὸν ἐνιπῆς Καὶ χεῖρας. De Morte item ut Tibullus scribit Callimachus ep. II. 5. Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ἧσιν ὁ πάντων Ἁρπακτὴς Ἀΐδης οὐκ

Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis;

V. 7. *condat.*

ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ et, qui Callimachum imitatur, Ovidius III. Am. 9. 19. *Scilicet omne sacrum* Mors *importuna profanat:* Omnibus obscuras iniicit *illa* manus.

7. *cineri quae* dedat *odores.* Consentiunt omnes libri in verbo *dedat*, quod horridule dici visum Broukhusio ipse mutat in *fundat*, Heynius in *reddat* vel *didat*, Vossius in *condat.* Et hic quidem inventum suum more solito in contextum invexit. Laudatur Plinius XII. 3. 7. odor *foliorum in vestes una* conditus. Plinius de malo Assyria agens ita scribit: *Pomum ipsum, alias non manditur:* odore *praecellit foliorum quoque*, qui transit in vestes una conditus. — Hinc colligitur, Tibullum scripsise: *cineri quae* condat *odores*, id est, quae odores condat una cum cinere in urnam, vel ut editor ipse explicat, *quae* in honorem cineris, *in urna conditi*, *Assyrios odores condat.* Praestat dubiam lectionem retinere, quam contortam substituere, dubium adeo Antiquitatis ritum pro certo inferentem. Nam Vulpius, qui primus unguenta in urnam recondita esse statuit, nullo veteris scriptoris exemplo rem comprobavit. At sepulcris et cippis unguenta adspersa fuisse, satis constat; et hunc ritum illustrat Kirchmannus. Quo pertinet locus Tibulli III. 2. 22. ubi iubentur Neaera cum matre ossa *in marmorea ponere* sicca *domo:* additurque deinceps; Illuc, *quas mittit dives Panchaia merces, Eoique Arabes pinguis et Assyria; Et nostri memores lacrimae fundantur eodem.* Propertius III. 16. 23. Adferet huc unguenta mihi, *sertisque sepulcrum Ornabit, custos ad mea busta sedens.* Sed huius ritus vestigia iam extant in Agamemnone Aeschyli, Syria etiam vel Assyria unguenta commemorantis v. 1322. ubi Cassandrae vaticinanti:

Ὀμοῖ᾽ ἀτμὸς, ὥσπερ ἐκ τάφου, πρέπει·

Chorus respondet,

Οὐ Σύριον ἀγλάϊσμα δώμασιν λέγεις.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0044

Delia non usquam: quae, me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Retulit e triviis omina certa puer.

V. 12. *trinis.*

9. quam *mitteret urbe.* *Quam* emendatio est Dousae. Vulgo *quum.* Error ortus inde est, quod non intelligerent editores, *quam* pertinere ad *ante*, et hoc esse pro *antequam.* Martialis IX. 36. 6. *Victricem laurum*, quam *venit*, ante *vides.* Recte Vulpius comparat Propertii II. 25. 25. *An* prius *infecto deposcit praemia cursu, Septima* quam *metam triverit* ante *rota.* Ubi Ant. Volscus primus edidit *arte*, quod in vetustis Codicibus se reperisse affirmat Heinsius. Burmannus in omnibus libris reperit *ante.* Nec hoc propterea deserendum est, quia praecessit *prius.* Homerus Il. ε. 218. πάρος δ' οὐκ ἔσσεται ἄλλως, Πρίν γ' ἐπὶ νῶ τῷδ' ἀνδρὶ, σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν, Ἀντιβίην ἐλθόντε, σὺν ἔντεσι πειρηθῆναι. Ib. 287. ἄταρ οὐ μὲν σφῶί γ' οἵω Πρίν γ' ἀποπαύσασθαι, πρίν γ' ἢ ἑτερόν γε πεσόντα Αἵματος ἆσαι Ἄρηα.

12. *e triviis puer.* Lego, *Rettulit et* (e) *trinis*, et ad sortes refero. Veteres tamen libri cum vulgatis consentiunt. Muret. Hinc Broukhusius edidit *e trinis*, probante etiam Heynio. Scaliger *puerum e triviis* Latine ita dici observat, ut *de circo Astrologi.* Adde quod in epigrammate Stratonis dicitur, παιδίον ἐξ ἀγέλης. Illud pertinet ad locum Ennii apud Ciceronem I. de Div. 58.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non haruspices vicanos, *non* de circo *Astrologos,*
Non Isiacos coniectores, *non interpretes somnium* —
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Catullus XXV. 5. ex ed. Scalig.

Quum de via mulier *aves ostendit oscitantes.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0045

Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.

V. 13—14. *Tamen haud deterrita frustra est, Quom.*

13—14. Edd. Venet. 1491. 93. *tamen est deterrita nunquam Quom flecteret.* Ed. Vet. ut Aldd. *Quin fleret.* Nulla editio habet, quae paucissimorum lectio librorum est: *tamen haud deterrita frustra est* — Neque sane video, quid in recepta lectione reprehendi iure possit. *Numquam* hoc loco capi potest pro *non.* Naevius apud Macrobium VI. 1. Numquam *hodie effugies, quin mea manu moriare.* Quod ita imitatur Propertius II. 8. 25. *Sed* non effugies: *mecum moriaris oportet.* Recte etiam Broukhusius monet: „Aliquando *deterrere* idem notat quod *aliter persuadere:* interdum ponitur pro eo quod est *dehortari,* dissuadere, rationibus adducere, ut hoc vel illud non facias:" laudans Plautum Mil. II. 3. 61. *Me homo nemo* deterruerit, quin *ea sit in his aedibus.* Accedit Ruhnkenius ad Terentii Heaut. I. 1. 26. Sed huc in primis pertinet narratio Appuleii IV. 80. p. 290. Oud. de puella a latronibus capta: *At illi intro vocatae anui praecipiunt, assidens eam blando, quantum posset, solaretur alloquio: seque ad sectae sueta conferunt.* Nec tamen puella quivit *ullis aniculae sermonibus* ab inceptis fletibus avocari. — *Ad haec anus subiratior dicere eam saeviore iam vultu iubebat,* quid malum! fleret? — *Quod si pergis ulterius, iam faxo, lacrimis istis, quas parvi pendere latrones consuevere, insuper habitis, viva exurare.* Tali puella sermone deterrita, *manuque eius exosculata, Parce, inquit, mi parens &c.* Ego quamvis hoc agens nullum sensum extorquere possum ex altera lectione: *tamen haud deterrita frustra est, Quum fleret.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0046

Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!

V. 18. *Saturnive — timuisse.*

17—18. Edd. veteres, ut plurimi libri scripti: *Aut ego sum caussatus, aves* dant *omina dira.* Primus Scaliger recte edidit, *aut omina dira.* Propertius IV. 4. 21. *Saepe illa immeritae* caussata est omina *Lunae.* Sed Scaliger versum maiorem cum minore ita per emendationem coniungit: *aut omina dira Saturni* sacra *me tenuisse* die. Nempe particula *aut* post *Saturni* desiderabatur in libris Scaligeri. Extat tamen in aliis, etiam in Ed. Venet. 1475. inter cuius lineas, teste Broukhusio, vir doctus notaverat: *Saturnive sacram.* Lectio suspecta nec digna, quae praeferatur receptae, nihil duri nec, quod *auribus molestum* sit, habenti. — Libri Statiani, *timuisse.* Quod qui praeferunt, vereor, ne Tibullum faciant Iudaeum. Iudaei enim ex suae religionis ritu et sermone proprie dicuntur, etiam a Romanis scriptoribus, *metuere, timere sabbata,* pro *religiose observare, colere.* Iuvenalis XIV. 96.

Quidam sortiti metuentem sabbata *patrem*
Nil praeter nubes et coeli numen adorant —
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum *ediscunt et servant ac* metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Persius V. 184.

Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.

Verum qui Iudaeorum superstitione contacti iter facere die sabbati dubitabant Romani, ut Tibullus, eos Saturni dies rectius dicitur *tenere* vel, quod Ovidius scribit, *morari,* Rem. Am. 219.

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbata, *nec damnis Allia nota suis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0047

Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te — memini — et puro secubuisse toro.

V. 21. *nemo.*

21. *ne quis discedere.* Nemo adhuc aurium iudicio vel potius fastidio plus umquam tribuit, quam Vossius. Velut hoc loco offendit eum παρήχησις syllabarum *quis dis*; cumque in quibusdam libris legatur *neu* pro *ne*, veram lectionem esse statuit *nemo*, eamque in contextum invexit. Sic supra I. 2. 17. *seu quis iuvenum* eadem de causa editum pro *seu* quis *iuvenis*. I. 6 (7) 39. *Tunc procul absitis, quisquis colit.* Ubi hanc induxit scripturam singularem: *Tum: „Procul hinc absit, quisquis colit — via!“* IV. 2. (1.) 16. *Vellera det* succis bis *madefacta Tyrus.* Ibi librarius quidam dissipatus temere exaravit *ter* madefacta, ut interdum nigrum exaratur, ubi album debebat. At ille contendit, Tibullum sibili odio et fuga, teste librario illo, scripsisse: *Vellera det succis* permadefacta *Tyros.* Quid igitur faciamus loco Tibulli II. 3. 33. *quisquis is es*, cui *tristi?* Sed ibi vir doctissimus reposuit: *quisquis is es, tristi cui* — fortasse ad exemplum Ovidii XIII. Her. 65. *Hectora*, quisquis is est, si sum *tibi cara caveto.* Vide Porsonum ad Euripidis Med 476 et Schaeferi Melet. Crit. p. 56.

25 — 26. Negligentius elaboratum hoc distichon recte existimat Heynius, motus in primis illo temere interiecto verbo *memini*, quod nusquam tam ambigue positum reperitur, quam hoc loco. Hinc illud uncis inclusit, auctore Statio. Melius haud dubie oratio procederet, si cum Doeringio pronomen deleres, eique substitueres copulam hoc modo: *Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari* Et — *memini — puro secubuisse toro?* Propertius IV. 2. 27. *Arma tuli quondam, et —*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0048

Nunc, dea, nunc succurre mihi! nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis;

memini — *laudabar in illis.* Ovidius XVI. Her. 247. *Prodita sunt* — memini — *tunica tua pectora laxa.* Pronomen *Te* commode omitti potuit, ut mox v. 27. *nam posse mederi* &c. Fortasse librarius aliquis huic vel illi loco illustrando adscripsit *te*, idque, ut fit, e margine in contextum venit. Certe latet aliquod in his versibus mendum.

27. *nam posse mederi* &c. In hac constructione veteres millies omiserunt *me*, *te*, *se*, *nos*, *vos:* monente Ruhnkenio ad locum Pytheae apud Rutilium Lupum p. 41. *Quid contra tot res, tamque evidentes dicere potes, Demosthenes? Cognitum enim est*, rempublicam venalem habuisse, *cognitum est.* Cicero IV. de Fin. 19. *sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamat quodam modo*, non posse adduci, *ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.* Verum etsi millies in hac constructione veteres pronomen omiserunt, tamen nemo interpretum, si unum excipias Barthium, carissimum mihi nomen, huius consuetudinis memor fuit ad locum simillimum Propertii I. 1. 23.

Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse *Cytaeaeis* ducere *carminibus.*

Piget commemorare putidas Burmanni aliorumque Criticorum ad hunc locum prolatas emendationes. Sed non sine nota dimittendus est novissimus interpres, adhuc *ducere* sumens pro *duci*, et *vobis* pro inani orationis complemento. Tibullus II. 6. 13.

Iuravi quoties rediturum ad limina numquam!

Hic Vossius *rediturum* non infinitivum esse contendit, sed accusativum participii, explicans verba hoc modo: *quoties iuravi* aliquem *ad limina numquam* rediturum! id est *me ipsum;* et hanc constructionem Latinorum propriam, Graecis incognitam esse ait. Quod genus doctrinae mihi prorsus insolitum accidit et novum, qui adhuc nihil aliud nisi accusativum pronominis omissum esse putaveram, idque more quodam Graecorum. Nam si quis versum Tibulli ita graece verteret:

Ut mea votivas persolvens Delia voces

ὤμοσα δ' οὐκέτι λοιπὸν ἐπὶ προθύροις πόδα θεῖναι

non multum a vero aberraturum esse crediderim, si quis perspicuitatis causa suppleret ἐμέ. Certe non erravit Heynius, quamvis notatus a Censore, quum hanc machinam adhiberet ad Homeri Il. α. 78. ἦ γὰρ οἴομαι ἄνδρα χολωτέμεν. Nihil enim usitatius est, quam accusativus pronominis cum infinitivo post eadem ipsa verba, quae in Censura p. 311. Heyniano opponuntur supplemento. Homerus Il. ν. 269.

οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς.

Minus circumscripte de hac re dixisse ad L. Bos. Ellips. p. 224. ipse fatetur Schaeferus ad Sophoclis Oed. R. 958. Rem expediunt Platonis exempla collecta ab Heindorfio ad Euthyd. p. 414. Utramque structuram conjungit Propertius III. 6. 39. loco memorabili:

Me *quoque consimili* impositum *torquerier igni*
Iurabo, *et bis sex* integer esse *dies.*

Hic Marklandus, post Heinsium, correxit *Iurato*, quasi Latine scribi possit (vel Graece) *iurato*, ego *esse* integer. Quanto probabilius erat, interpunctionem mutare! quod ego tamen suadere nolim. Ergo omnibus iis locis, quos magno numero congessit vir doctissimus ad citatum Tibulli versum, positi sunt infinitivi omissis pronominibus *me*, *se*, *te*. Sed omittuntur etiam accusativi pronominum *is* vel *ille*. Terentius And. I. 5. 46.

Unum hoc scio, esse meritam, *ut memor esses sui.*

Ubi librarii inculcantes *hanc* versum corruperunt. Vide Hec. III. 5. 37 — 39. Iidem *meritam* intulerunt Phorm. V. 9. 25. ubi de Chremete Demipho:

Ego, *Nausistrata*, *esse in hac re culpam* meritum *non nego.*

29 *votivas voces.* Tres recens comparati libri *noctes* substituunt, quod praecepit Scaliger, comparans locum Propertii II. 28. 61. *Redde etiam excubias divae nunc*, *ante iuvencae*, Votivas noctes *et mihi redde decem.* Ubi decem noctes, quas voverat Isidi puella, reddi sibi postulat Propertius plane ut Diabolus, auctore Parasito, apud Plau-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0050

Ante sacras, lino tecta, fores sedeat;
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!

tum Asin. IV. 1. 6. *Si forte pure velle habere dixerit*, Tot noctes reddat spurcas, *quot puras habuerit*. Sed huic scripturae et explicationi, ut recte monet Heynius, non favet versus minor. — Mira obtinet verborum confusio apud Appuleium XI. Metam. p. 768. in descriptione pompae Isiacae: *Ecce pompae magnae procedunt anteludia*, votivis *cuiusque studiis exornata pulcerrime*. Hic in omnibus libris legitur *vocibus* pro *votivis*. Oudendorpius, „Utramque vocem iunxit Tibullus I. 3. 29. votivas *persolvat Delia* voces. ubi male contra MSS. reposuere *noctes*. *Voces votivae* sunt *vota*, ut *voces precantes* apud Poetas sunt *preces*.“ Statius *hymnos* intelligit, quae statim vocantur *laudes*. Haec sunt, nisi fallor, quae idem Appuleius dicit *cantamenta votorum* p. 772. Symphoniae *dehinc suaves fistulae tibiaeque modulis dulcissimis personabant. Eas amoenus lectissimae iuventutis veste nivea et cataclista praenitens sequebatur* chorus, *carmen venustum iterantes, quod Camoenarum favore solers poeta modulatus edixerat: quod argumentum referebat interim maiorum* antecantamenta votorum. — Et ut *lino tecta* dicitur Delia, ita apud Appuleium p. 811. videmus *quendam de sacratis*, linteis intectum. Quam lectionem recte tuetur Oudendorpius. Alii *iniectum*.

36. est *patefacta*. Vix dignam commemoratione haberem, quae in quibusdam libris extat, scripturam *sit* pro *est*, nisi Vossius novam inde concinnasset lectionem, *prius quam Tellus in longas it patefacta vias*. Sed bonum factum, quod hanc emendationem in contex-

Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum:
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus;
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

V. 38. *praebueratve.*

tum non intulit vir doctissimus. Pindarus Pyth V. 117. τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε, ναυσὶ θοαῖς ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνολγων.

37. Balbus Carm. 20. p. 155. *Illo non fragili vexit rate tempore merces Navita* contemto *per freta longa* mari. Artificiosissime! Tibullus: *Nondum caeruleas pinus* contemserat *undas.* Ubi *contemserat* meo sensu nihil habet nimis grave aut magnificum pro Tibulli simplicitate, siquidem Livius etiam sic loquitur apud Burmannum ad Claudian. II. in Rufin. 123. confirmat Balbus, recti iudicii et sensus poeta, et penes me Codex Datianus et Askewianus; tertius tantum recentior habet *contexerat.* SANTEN. p. 1819. Disputat Santenius contra Heynium, qui nollem ea scripsisset, quae in Observationibus leguntur de verbo *contexerat.* — V. 38. servant quidem aliquot libri *praebueratve*, sed mira est argutia editoris, particula *ve* maiorem indicari primi navigatoris audaciam, mare contemnentis *atque adeo* vela pandentis. Quae vis huic particulae non inest: et copula longe melius hoc loco sententiam continuat, ut apud Propertium I. 17. 13.

Ah pereat, *quicunque* rates et vela *paravit*
Primus, et *invito gurgite fecit iter.*

44. *Qui regeret — lapis.* Homerus Il. Φ. 405.
τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes, nunc vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.

V. 50. *leto multa reperta via.*

47. *Non* acies, *non* ira *fuit.* Heinsius corrigit *Non acies* ferrive — Broukhusius *Non* animi, *non ira fuit.* Alii aliter. Omnes coniecturas evertit Empedocles, qui ita describit τὸν ἀτερπέα χῶρον apud Hieroclem, monente Sturzio p. 451.

ἔνθα φόνος τε κότος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κηρῶν —

49 — 50. *nunc vulnera semper* — Infra I. 10. 3. Tunc *caedes hominum generi*, tunc *proelia nata*; Tunc *brevior dirae* mortis *aperta* via *est.* II. 3. 38. Hinc *cruor*, hinc *caedes*, *mors propiorque venit.* Unde satis firmatur lectio: nunc *vulnera semper;* cui alii libri substituunt *et.* — Unus Broukh. et Vindob. *Nunc* maris et *leti.* Haerebat forsitan librario in memoria Propertii II. 27. 6. *Et* maris et *terrae caeca pericla* viae. *Mille* omnes propemodum libri exhibent, sed *repente* in tribus Palat. *reperte*, in uno *referte* exaratum. Comelin. et Goth. *nunc leti mille* reperta *via.* Voss. sec. leto *mille* reperta *viae.* Vatic. quart. *multa reperta via.* Hinc Broukhusius hanc concinnavit lectionem: *Nunc mare; nunc leto multa reperta via:* quam deseruit cum Vulpio Heynius, revocavit Vossius et quidem tam confidenter, ut aliter sentientes non argumentis refellendos, sed cum irrisione dimittendos putaverit. In transcursu edicit, *mille viae* non esse praeferendum *poetico* illi *multa via.* Non dicam, multis poetis, ut Virgilio, placuisse *mille vias*, μυρίαι δ' ἔργων καλῶν, ut scribit Pindarus Isth. VI. 31. τέτμηνθ' ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ κέλευθοι. Sed

illa Tibulli sententia, *nunc leti mille repente viae*, ita comparata est, ut ducta esse videatur ex Homeri Il. μ. 326.

νῦν δ' ἔμπης γὰρ Κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι.

Illud autem *repente* quam vim hoc loco habeat, in primis docet Hesiodus Ἔργ. 100. ubi illa malorum millia, ut morbi, *tacite* inter homines versari, iisque perniciem inferre dicuntur *nec opinantibus*, hoc addito argumento, Iovem iis exemisse vocem:

ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα·
νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
σιγῇ· ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητιέτα Ζεύς.

Easdem vitae calamitates singulatim, ut Tibullus, enumerans Simonides carm. XVIII. Anal. Brunck. T. I. p. 128. tandem addit:

οὕτω κακῶν ἄπ' οὐδὲν· ἀλλὰ μυρίαι
βροτοῖσι κῆρες κἀνεπίφραστοι δύαι,
καὶ πήματ' ἐστίν.

Nempe, quod ait Horatius, *improvisa leti Vis rapuit rapietque gentes.* His poetarum effatis adiiciamus locum Livii XXXI. 18. de furore Abydenorum se ultro occidentium: *tanta enim rabies multitudinem invasit, ut* repente *proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent, periuriumque aliis alii exprobrantes et sacerdotibus maxime, qui quos ad mortem devovissent eorum deditionem vivorum horti fecissent,* repente *omnes ad caedem coniugum liberorumque discurrerent, seque ipsi* per omnes vias leti *interficerent.* Ubi veteres libri habent *laeti.* Sed Sigonius restituit *leti*, quod satis confirmant Tibullus et Lucretius II. 915. *Qui poterunt igitur rerum primordia dici*, Et leti *vitare* vias, *animalia quum sint.* Horatius I. Carm. 28. 16. *Et calcanda semel* via leti. Ne quis vero haereat in coniunctione verborum *repente viae*, adscribam locum Theocriti, suspectum illum quidem Criticis quibusdam, sed tamen feliciter illustratum a Toupio, Id. IX. 33. οὔτε γὰρ ὕπνος,

Parce, pater, timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus ster super ossa notis:
Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus, 55
Messalam terra dum sequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,

V. 54. *At lapis inscriptis.* 57. *qui — sim.*

Οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις Ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι φίλαι. Ubi fallitur procul dubio Valckenarius, corrigens: οὔτ' ἔδαρ. Homerus apud Hippocratem περὶ ἄρθρων T. I. p. 785. Foes. nam in Homero nostro versum frustra quaeras: Ὡς δ' ὁπότ' ἀσπάσιον ἔαρ ἦλυθε βουσὶν ἐλιξιν. Vide Wolfii Proleg. p. XXXVII. Ex his, nisi omnia me fallunt, consequitur, non esse admittendam Broukhusii interpolationem: *nunc leto multa reperta via.*

53. *fatales — explevimus annos.* Explicat Homerum, apte comparatum a Vulpio, Il. δ. 170.

αἴ κε θάνῃς, καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο.

Ubi non apparet, cur Aristarchus maluerit πότμον, quod legitur Il. λ. 263.

πότμον ἀναπλήσαντες ἔδυν δόμον Ἄϊδος εἴτω.

54. *Fac lapis* &c. Versum hunc in antiquis quibusdam libris ita scriptum reperio: *Fac lapis inscriptus stet super ossa mea.* Muret. Alii libri *his scriptis*, alii *his scriptus*, quod recepit Broukhusius. Edd. veteres *inscriptis*. Omnes servant *Fac.* nec hoc adhuc offensionis aliquid apud alios habuit. Vossius mutavit in *At.*

57—58. *quod — sum.* Parum discrepant inter se libri. Guelf. tertius, Goth. Exc. Lips. *qui*, unus *sim.* Passeratius praefert *qui sum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0055

Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic iuvenum series teneris immixta puellis

V. 58. *ad.* 63. *Ac — implexa.*

Balbus legit, ut adhuc omnes dederunt editores, *quod sum.* Carm. I. p. 108. *Sive* Venus, *placidos* cecini quia semper amores, *Nostra Cytheriacis vulnera lavit aquis.* Porro alii libri *in*, alii habent *ad*, quod confirmari solet Marsi Domitii epigrammate: *Mors iuvenem campos misit* ad *Elysios.* Auctor ignotus epigrammatis, quod edidit Maffeius Mus. Veron. p CLXXIV. locum ita exprimit: *Umbrarum secura quies animaeque piorum Insontes, colitis quae loca sancta Erebi, Sedes insontem Magnillam* ducite *vestras Per nemora et* campos *protinus* Elysios. Receptae lectioni favet, quem imitatur Tibullus, locus Homeri, a nemine, quod sciam, camparatus, Od. δ. 563.

ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πέδιον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς
τῇ περ ῥηϊστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύριο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

63. Hic *iuvenum series* — *Hic* in quibusdam libris abiit in *Hac*, unde ortum videtur *Ac* et *At.* Broukhusius e Colotiano, cui accedit Corvin. reposuit *Hic*, quam lectionem firmat quodam modo citatus Homeri locus. Deinde libri magno consensu exhibent *immixta* vel *immista.* Fruterius coniecit *implexa*, Herelius *immissa*, Heynius *innexa.* Equidem *series* iuvenum *innexa* vel *implexa* quid sit, aeque

Ludit, et assidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicunque rapax Mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba fugit.

intelligo ac, quod scribit, monente Vossio, Seneca IV. de Benef. 7. *series implexa caussarum*, hoc est εἱμαρμένη, interprete Cicerone I. Div. 55. *ordo seriesque caussarum*, quum caussa caussae nexa *rem ex se gignat;* sed *series* iuvenum *innexa puellis* mihi commode dici potuisse non videtur, ut exprimeretur quod dicit Homerus Il. σ. 593.

ἔνθα μὲν ἠίθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
ὠρχεῦντ', ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες·

quamvis hunc locum ita reddat Philostratus p. 880. παρθένοις ἠίθεοι τὰς χεῖρας ἐμπλέξαντες χορεύουσι. (Vide Lucianum de Saltat. T. II. p. 275.) Nam si quis hoc loco abuti vellet ad commendandam lectionem *implexa*, opponerem ei verba Eustathii p. 1166. 11. φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, ὅτι διακεχωρισμένως χορευόντων τὸ πρὶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, πρῶτοι οἱ μετὰ Θησέως σωθέντες ἐκ τοῦ Λαβυρίνθου ἑπτὰ ἠίθεοι καὶ τοσαῦται παρθένοι ἀναμὶξ ἐχόρευσαν ὑπὸ καθηγητῇ τῷ Δαιδάλῳ κατὰ Κνωσσὸν πόλιν Κρήτης. Equidem nihil adhuc allatum vidi, quo convelli possit lectio *immixta*, quam potius confirmat aliorum poetarum usus, ut Horatii IV. Carm. 11. 9.

Cuncta festinat manus: huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae.

Propertius II. 34. 57.

Ut regnem mixtas *inter conviva puellas.*

69—72. „In utroque disticho aptum orationis nexum desidero. Uterque pentameter vel omnino utrumque distichon ab aliena manu esse

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridit, et aeratas excubat ante fores.

V. 71. *serpens, tum Cerberus ora* —

videtur. Nam et maiorum versuum oratio impexa atque horrida, et per sententiarum seriem iidem recte abesse possunt." Hoc est iudicium Mitscherlichii in Tentam. Crit. p. 10. Videamus de singulis.

69. impexa *feros pro crinibus angues.* Eadem scripturae diversitas, quam supra notavimus v. 63. ad verbum *immixta*, hoc etiam loco notanda est ad verbum *impexa.* Nam Fruterius iterum proponit *implexa*, Gebhardus *innexa.* Illud etiam exstat in Codd. Dresd. et Corvin. Obversabatur forsitan librariis Horatii Ep. V. 15. *Canidia brevibus* implicata *viperis Crines et incomptum caput:* vel Virgilii IV. Georg. 482. *caeruleos* implexae *crinibus angues Eumenides.* Sed recte Broukhusius scribit, Tisiphonem, *quo foret terribilior*, impexam facit. Et hoc expressit Balbus Carm. 4. p. 147. *Non fera Tisiphone* pectat pro crinibus *angues.* Virgilius VII. Aen. 667. *tegumen torquens immane leonis, Terribili* impexum *saeta.* Ubi alii *implexum* legunt. Nihil igitur in hoc versu impexum atque horridum nisi caput Tisiphonae. Et recte. Nam quo terribilior fingitur Tisiphone, eo magis locum habet quod subiungitur, *et huc illuc impia turba fugit.* Quod tantum abest, ut ab aliena manu sit, ut potius auctorem habeat Homerum. Nam, ut illud praeteream, τοὶ δὲ σκιαὶ αἰὲν ἔασιν, quemadmodum hoc loco, saevientibus Furiae anguibus, *huc illuc fugit* umbrarum turba, ita easdem umbras Herculis horridiore adspectu perterritas huc et illuc trepidare videmus Od. λ. 604.

ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν, οἰωνῶν ὥς,
πάντοσ' ἀτυζομένων· ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικὼς,
γυμνὸν τόξον ἔχων, καὶ ἐπὶ νευρῇφιν ὀϊστὸν,
δεινὸν παπταίων, αἰεὶ βάλεόντι ἐοικώς.

71—72. Edd. Venet. 1491. 93. *Nunc niger in porta.* At Cyllenius in Commentario: *Tum niger in porta.* Ed. Vet. et Plant.

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;

Tum niger in turba. Sed Scaliger, post Muretum, e codice infimae vetustatis, quem vocat, revocavit *in porta*, caeteroquin corrigens: *Tum niger in porta* serpens, tum *Cerberus ore Stridet.* Contra Broukhusius recte, *Cerberum*, ait, *ore stridere* quis umquam dixit? „ille vero latrat et quidem ore trifauci.“ Huic incommodo ita mederi conatus est Vossius, ut assumpta emendatione Scaligerana, legeret: *tum Cerberus* ora *Stridit* — mira et latinitate et interpretatione. Quamvis enim aliter explicet, tamen vel sic *canis* stridet, non *serpentes*, et recurrit Brouckhusianum illud, Quis umquam dixit? Cerberum vero *ora stridentem* prorsus ignorat consuetudo elegans Latini sermonis. Abeat igitur, unde malum pedem tulit, scriptura inconcinna, et redeat in sedem suam pristina lectio, cuius optimum interpretem habemus Hesiodum Theog. 824 — 835. ubi Typhoeus, pater Cerberi, item centum serpentis capitibus ῥοιζεῖ· eodemque modo apud Virgilium VII. Aen. 447. *Erinnys* sibilat *hydris*, et apud Euripidem Herc. Fur. 879. (875. ed. Herm.)

βέβακεν ἐν δίφροισιν ἃ πολύστονος,
ἅρμασι δ' ἐνδίδωσι κέντρον,
ὡς ἐπὶ λώβᾳ,
Νυκτὸς Γοργῶν ἑκατογκεφάλοις
ὀφέων ἰαχήμασι, Λύσσα μαρμαρωπίς.

At, inquit, *in porta*, hoc est, *intus* habet sedem serpens secundum Virgilium VI. Aen. 576. *ante fores aeratas*, id est, *longe a foribus aeratis* ad Stygis ripam *excubat* Cerberus. Quod ut ita sit, qua de re non disputo — quid tum postea? Nempe nunc Cerberus *in porta* serpentum ore stridit, et *ante fores aeratas* excubat ad eum plane modum, quo idem apud Sophoclem *in porta aerata* excubat, et *ex antro* ululat. Quem Sophoclis locum ita persequitur Tibullus, ut omnes simul Criticorum, in primis vero Bothii evertat temerarias emendationes Oed. Col. 1568 — 1573.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0059

Porrectusque novem Tityos per iugera terrae 75
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic et circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,

ὦ χθόνιαι θεαὶ, σῶμά τ' ἀνικάτου
θηρὸς, ὃν ἐν πύλαισι
φασὶ πολυξέστοις
εὐνᾶσθαι, κνυζᾶσθαί τ' ἐξ ἄντρων
ἀδάματον φύλαξ' Ἄϊδα
λόγος αἰὲν ἀνέχει.

Hic Marklandus corrigens πολυξένοις confutatur a Tibullo, cuius *aeratae fores* respondent Sophoclis πύλαισι πολυξέστοις. Bothio vero scribenti, „Si *ad portas cubat* Cerberus, ad portas quoque *ululat*, non *in antris*," forsitan accesserit Vossius; non ego, qui utriusque loci, Sophoclis et Tibulli, ut similitudinem ita sanitatem satis demonstrasse mihi videor.

75. *Porrectusque.* In aliis libris, nescio quibus, *Proiectusque* legi ait Burmannus ad Propertium II. 7. 21. (8. 33.) *Viderat informem multa Patroclon arena* Porrectum. Ubi item unus liber exhibet *Proiectum.* Sed illud ductum est ex Homero Il. σ. 30. ut alibi diximus. Hinc sentitur praestantia lectionis, quam Euripidi restituit Porsonus Med. 585. ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος. Lucilius apud Macrobium VI. Saturn. 4.

Si mihi non praetor siet additus atque agitet me,
Non male sic ille, ut dico, me extenderat *unus.*

„Caeterum apud Albium *Tityos* scribi debet: quomodo semper scribitur in optimis quibusque codicibus, monente Heinsio Not. in Ovid. L. 4. Metam. v. 457. et nos quoque in multis libris conspeximus." Broukh. Vulgo *Tityus.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0060

In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas! sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paullatim somno fessa remittat opus.

83—88. „Sunt autem, quae sequuntur, exquisitae suavitatis propter delectum rerum, ad sensum et recordationem iucundarum.“ Haec Heynius praefatur. Enimvero egregius hic locus ductus videtur e Menandri Heautontimorumeno. Nam quo studio vitam se absente ut exigat Delia, optat Tibullus, ei re ipsa deditam se offendisse castam Antiphilam missus a Clinia Syrus narrat in hac fabula apud Terentium II. 3. 44. quem locum laudat Vulpius:

Texentem telam studiose ipsam offendimus;

eidemque Antiphilae, cuius mox praedicatur *Capillus sparsus, promissus, circum caput Reiectus* negligenter, similis informatur Delia v. 91. *longos turbata capillos:* nec desunt *anus* et *puella*, pensis affixae vel, ut ipse scribit Terentius v. 51. anus

Subtemen nebat: praeterea una ancillula
Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neclecta, inmunda inluvie.

Huic Terentii loco tres graecos versus adscripserat Angelus Politianus, quos vulgavit P. Victorius Var. Lect. IX. c. 15.

ἐξ ἰσταρίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.
— — — — καὶ θεραπαινὶς ἦν μία,
αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακειμένη.

Quorum versuum primum ipsi Menandro adscribere non dubitat Victo-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0061

rius; nec intercedo. Etsi enim vocem ἱστάριον alibi me legere non memini, est ea tamen bene formata planeque Graeca, ut ἀνθρωπάριον, ἱππάριον. Et locum forsitan ipsum expressit Ovidius IV. Metam. 34.

Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut haerent telae, *famulasque laboribus urgent.*

Posteriores versus postquam descripsit Victorius, addit: haec *interpretatio* est huius loci, *praeterea una ancillula* &c. Non igitur illos Menandro sed ipsi videtur attribuisse Angelo Politiano. Qua in re me quidem haberet consentientem. Nam συνυφαίνειν Graece vix dici potuit pro *una texere*, quum potius sit *contexere* vel *adtexere*; unde συνυφεῖς ἱστοὶ ex emendatione Turnebi apud Aristotelem H. A. IX. 40. et συνύφειαι *contextae* apum *cellulae* dicuntur: καὶ κάτω συνυφεῖς παισὶν ἕως τοῦ ἐδάφους ἱστοὺς πολλούς. Clericus tamen non haesitavit hos versus referre in numerum fragmentorum Menandri p. 56. nec oblocutus est, quod miror, Bentleius p. 25. — Jam anus Terentii non est Antiphilae mater, sed lanifica mercenaria, qualis illa fuit Helenae, quam assimulat Venus apud Homerum Il. γ. 386. Hoc tamen Tibulli loco Deliae matrem intelligunt. Sed parum interest. Illud gravius, quod Scaliger scribit ad v. 87. *At* circa *gravibus*. „Maiuscula C scribendum *Circa*, est nomen puellae Κίρκη. Horatium semper Circam non Circem dixisse testatur Caper Grammaticus. Sed codex noster habebat *Cura* non *Circa*. Ne ita quidem propterea non erit nomen proprium. Κύρα enim est puella.“ Hoc a nitore Tibulli alienum recte dicit Vulpius. Nec tamen illud audiendum, quod ipse scribit: „*Puella* hic non unam tantum ancillam sed plures videtur significare: quasi dixisset noster *multa puella*, neque enim τὸ *circa* uni tantum accommodari potest.“ Enimvero una ancillula Deliae, credo, sufficiebat, ut Antiphilae. Ea autem vel sola dici potuit *circa dominam* esse, quemadmodum Seleucus apud Athenaeum VI. p. 267. C. ἀμφίπολον interpretatur τὴν περὶ τὴν δεσποιναν θεράπαιναν· vel una cum anu in lanificio occupata *circa* illam; idque absolute ut apud Homerum Il. λ. 37. περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε. Nec hoc negabat Sca-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0062

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.

V. 89. 91. *Tum.*

liger addens: Si quis adverbiale mavult, ego non magnopere pertendo. — Locum Terentii disertius expressit Propertius III. 6. 9 — 18.

89 — 90. *Tunc veniam subito.* Exprimit graecam locutionem ἔρχεσθαι ἐξαπίνης, de qua videndus est Toupius ad Theocritum IX. 34. Append. p. 17. Ovidius III. Art. 245. *Dictus eram cuidam* subito venisse *puellae.* Qui autem subito veniunt, *caelo missi* veteri proverbio dicuntur, quod satis illustravit Vulpius. Homerus Od. φ. 195.

ποῖ ἵ κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι
ὧδε μάλ' ἐξαπίνης, καί τις θεὸς αὐτὸν ἐνέγκοι;

91 — 92. *Tunc mihi, qualis eris* &c. Ad huius loci exemplum compositi sunt versus, quos desiderari ait Latinus Latinius apud Propertium I. 3. 33 — 34. *Et* subito adventu *palluit illa meo. Mox, ut erat, neglecta comis et pectore nudo.* Cuius modi pannis adsutis Tibulli nunc contextus passim deformatus conspicitur. Ovidius IV. Metam. 473. *Tisiphone canos*, ut erat, turbata capillos. — V. 92. *nudato pede*, nempe calceis vel soleis prae festinatione relictis. Nisi referre malis ad vestem altius adstrictam. De qua re vide interpretes ad Homeri Hym. in Cer. 176. Sed illud praefero. Aeschylus Prom. 133. Σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ. Ubi vide Stanleium. Hoc lepide variant gravissimi poetae. Pindarus Nem. I. 71. ἐκ δ' ἄρ' ἄτλατον δέος πλάξε γυναῖκας, ὅσαι τύχαν Ἀλκμήνας ἀρήγοισαι λέχει. Καὶ γὰρ αὐτὰ ποσσὶν ἄπεπλος ὀρύσσαις ἀπὸ στρωμνᾶς ὅμως ἄμυνεν ὕβριν κνωδάλων. Quem locum imitatur Theocritus XXIV. 35.

ἄνσταθ' Ἀμφιτρύων· ἐμὲ γὰρ δέος ἴσχει ὀκνηρόν·
ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0063

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis!

V. 93. *Hoc precor, hoc! Illum* —

Unde firmari potest lectio δέος apud Pindarum, cui alii substituerunt βέλος. Sed hoc lyrico, illud bucolico carmini videri potuit accommodatius. Scholiastes locum ita interpretatur: καὶ γὰρ αὐτὴ ἡ Ἀλκμήνη μονόπεπλος αὐτοποδητὶ ἐκπηδήσασα ἀπὸ τῆς κοίτης ἐπὶ βοήθειαν ἠπείγετο. — Qua ipsa voce utitur loco simili Euripides Hec. 927.

λέχη δὲ Φίλια μονόπεπλος
λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κέρα,
σεμνὰν προσίζουσ',
οὐκ ἤνυσ', Ἄρτεμιν, ἃ τλάμων.

93. *Hoc precor.* Codex Broukh. *Hunc*, ut emendaverat Statius. Broukhusius edidit: *Hunc precor*, *hunc* utinam — quod confirmat unus liber Vossianus. Ovidius III. Trist. 5. 55. Hunc utinam *nitidi Solis praenuntius ortum Adferat admisso Lucifer albus equo.* Idem I. ex Pont. 4. 57. *Memnonis* hanc utinam, *lenito Principe*, *mater Quamprimum roseo provocet ore diem.* Haec certe emendatio probabilior est Vossiana: *Hoc precor*, *hoc! Illum* — Nam ita unum idemque votum in duo quasi discerpitur membra, quorum prius posteriori omnem praeripit vim et efficaciam. Adhuc satis placet scriptura vulgata.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0064

PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

IMMANUEL G. HUSCHKE

ELOQ. PROF. PUBL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

ILLUSTRATUR TIBULLI ELEGIA SEPTIMA.

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0065

PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

IMMANUEL G. HUSCHKE

ELOQ. PROF. PUBL. ORD.

ACADEMIAE G. T. RECTOR

ACCUSTRATUR TIBULLI ELEGIA SEPTIMA

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA

MDCCCXIV

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0066

ALBII TIBULLI

ELEGIA SEPTIMA.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo:

V. 1. *Hac — die.*

1. Nulla magnopere scripturae diversitas hoc loco notanda est, nisi quod pro *Hunc* aliquot libri exhibent *Hanc*, *Nunc*, *Tunc*. Heinsius malebat *ducem* pro *diem*; Heynius, Hoc *cecinere* die: addens tamen prudenter, esse hoc Parcae vaticinium, adeoque assurgere poetae orationem. Vossius verens, ne, si vulgata servetur lectio, in ipsum proelii tempus incidens dies natalis pro Messala victoriam de Aquitanis reportasse dicatur, Heynii emendationem in contextum admisit, converso, quod facere minime necessarium erat, *Hoc* in *Hac*. Ponere autem diem natalem pro homine nato, hoc illi fines poeseos et rationis humanae excedere videtur. Messalae quidem nemo tradidit contigisse, quod contigit Timoleonti, de quo refert Cornelius Nepos c. 5. *Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus.* Nam proelia maxima natali die suo fecit omnia. *Quo factum est, ut eiusdem natalem festum haberet universa Sicilia.* Sed Tibullus procul dubio loquitur de primo vitae die, eique tribuit, quidquid per totam vitam praeclare gessit Messala. Nec huius insolentiae desunt auctores. Homerus de Phereclo Il. ε. 62.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0067

ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας
ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
οἵ τ' αὐτῷ· ἐπεὶ οὔτι θεῶν ἐκ θέσφατα ἤδη.

Huius fere par ratio est loci: Has *cecinere* rates *oracula sancta deorum*, Has fore, *Troianam* possent quae *frangere gentem*. Quem locum multi imitati sunt, ut Herodotus V. 97. de navibus, quas Ionibus auxilio miserant Athenienses: αὗται δὲ αἱ νέες ἀρχὴ κακῶν ἐγένοντο Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροισι· item Thucydides de *die*, qui belli Peloponnesii *primus* censeri poterat. Nam Melesippus ab Archidamo Athenas missus, ut exploraret, si forte Athenienses de sua pertinacia remitterent, quum infecta re abire iussus esset, II. 12. τοσόνδε εἰπὼν ἐπορεύετο, ὅτι ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. Thucydidem, monente Scholiasta, expressit Aristophanes Pac. 437.

σπένδοντες εὐχώμεσθα, τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν.

Sic Menander apud Gellium II. 23. primam infausti conjugii noctem vocat πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν, ex imitatione fortasse Euripidis Hippol. 881. αἶ, αἶ. κακῶν ἀρχηγὸν ἐκφαίνεις λόγον. Virgilius IV. Aen. 169.

Ille dies *primus leti primusque malorum*
Caussa fuit.

Propius accedit Lucanus VII. 131.

Advenisse diem, qui fatum rebus in aevum
Conderet humanis, *et quaeri, Roma quid esset,*
Illo Marte palam est.

His aliorum scriptorum exemplis satis firmatur recepta lectio, simulque defenditur felix audacia Tibulli, diei natali tribuentis res gestas hominis, eo die nati. Sed ne quis forte credat, hodie demum fluctus excitari in simpulo, adeat interpretes graecos ad similem locum Pindari Nem. VII. 1. ubi Ilithyia, *Parcarum* πάρεδρος, soror *Hebes*, celebratur tamquam parens vel effectrix victoriae, quam Sogenes reportaverat quinquertio:

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0068

Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere. Novos pubes Romana triumphos
Vidit et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

V. 3. *frangere.* 7. *laurus.*

— — σὺν δὲ τὶν
καὶ παῖς ὁ Θεαρίωνος ἀρετᾷ κριθεὶς
εὔδοξος ἀείδεται Σωγένης μετὰ πενταέθλοις.

3. *Fundere gentes.* Cod. Thuan. et alii *spargere.* Quod unde ortum sit, apparet. Credidit librarius, praeclare se acturum, si verbum *fundere* illustraret verbo *spargere.* Alius e coniectura, ut videtur, inde fecit *frangere*, quod exstat in Guelf. 2. Ita etiam Cyllenius legit in commentario ad II. 1. 33. Sed hoc loco Edd. Venetae habent *fundere*, ut caeteri libri sine exceptione omnes.

4. *Atax.* Heynius, praeeunte Broukhusio, reposuit Scaligeri emendationem *Atur;* qui fluvius est Aquitaniae, vulgo dictus *Aturus.* Messala quidem triumphum egit de Aquitanis. Sed, ut idem bene observat Heynius, etiam v. 11. Arar et Rhodanus, fluvii Narbonensis Galliae memorantur, quia vicini Aquitanis; et Narbonensis provinciae res ipsae a Messala potuere constitui. Recte igitur a Vossio repositus est *Atax.* Nobilitavit hunc fluvium P. Terentius Varro *Atacinus.* Vide Ruhnkenium Epist. Crit. II. p. 199.

7—8. *Lauros*, emendatum *laurus* in Guelf 2. quod frequentant alii poetae. Heyn. Eadem scripturae varietas obtinet infra II. 5. 63. et 117. Ad versum minorem paullulum turbavit Heynius. Nam quod scribit: „Scaliger e suo malebat *portabit*, tamquam ex Parcarum praedicentium futura persona," falsum est. Scaliger enim ita:

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0069

Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis

V. 9. Omittitur *est*.

(certe ad Ed. 1582.) „*Portabit — niveis:* Vitium librarium *b* pro *u*. *Portavit* enim debuerant scribere.“ Hanc emendationem Guyeto adscripsit Vossius. Cyllenius in commentario habet *portabit*, in contextu *portabat*. Idem legit *nitidis*. Posteriores editores *niveis*. Recte! *Niveos* triumphantium equos *insignes* vocat Orator post Red. in Senatu §. 28. *Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino* non *reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives*, sed *equis* insignibus, *et curru aurato reportati*. Qui locus non potest non luxatus videri ac decurtatus. *Non* enim *reductus ille est in patriam — equis insignibus et curru aurato, sed* — ut ipse gloriatur in extrema oratione, et apud Macrobium — *humeris reipublicae reportatus*. Ad hunc fere modum scribere debuit auctor. Similiter Plinius Panegyr. 22. *Nam priores invehi et importari solebant*, non dico quadriiugo curru et albentibus equis, sed humeris hominum, *quod arrogantius erat*.

9. Verbum *est* aberat a secundo Vaticano, me non nolente. Broukh. *Tarbella* egregia est Scaligeri emendatio. Edd. veteres *tua bella*. Plant. *per bella*. Cyllenius animadvertit, Lucanum primam in *Pyrene* syllabam producere I. 688. Idem faciunt, quod Vulpius monet, alii, ut Silius Italicus III. 415. Sed hi poetae mediam adeo in *Edonis* corripiunt. Qua de re vide Bentleium ad Horatium III. Carm. 25. 9. Secundam in *Aturus* corripit Lucanus I. 420. producit Ausonius 163. 11.

Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturus,
Tarbellique *furor perstrepit Oceani*.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0070

Caeruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus et aetherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?

V. 14. *Caeruleus placidae — aquae.* 15. *conscindens.* 16. *alat.*

14. Edd. veteres, ut libri fere omnes: *Caeruleus placidis.* Hinc Statius leni mutatione formavit, *Caeruleis placidus* — quod tres libri confirmant Vossiani. In hac lectione nihil offensionis illud habet, quod Cydnus *tacitis undis placidus* serpere dicitur. Horatius I. Carm. 31. 7. *Non rura, quae Liris* quieta *Mordet* aqua, taciturnus *amnis.* Nec displicere possunt illa, *leniter placidus* serpis; quae Tibullus etiam coniungit II. 1. 8. *Felix, cui* placidus leniter *afflat Amor.* At enimvero quod post *tacitis undis* infertur *caeruleis* vel *placidis aquis*, inconcinnum est et a nitore Tibulli alienum. Hactenus probabiliter Vossius emendavit *placidae* per vada serpis *aquae.* Quibus verbis designatur lacus ille, de quo scribit Strabo XIV. p. 639. ed. Basil. μετὰ δὲ τὴν Ἀγχιάλην αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον. Ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος, ἔχων καὶ πάλαι νεώρια, εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος διαῤῥέων μέσην τὴν Ταρσὸν, τὰς ἀρχὰς ἔχων ἀπὸ τοῦ ὑπερκειμένου τῆς πόλεως Ταύρου. Καὶ ἔστιν ἐπίνειον ἡ λίμνη τῆς Ταρσοῦ. Nemo tamen non intelligit, *caeruleum* rectius dici lacum vel mare, (Ovidius VIII. Metam. 229. *Oraque* caerulea, *patrium clamantia nomen, Excipiuntur* aqua): quam Cydnum, qui a candido aquarum colore nomen cepisse traditur. Quare locum ita legendum censeo:

An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleae *placidus per vada serpis* aquae?

15 — 16. *Contingens.* Unus liber *contingis.* Colot. *contingere.* Palat. *consurgens.* His Vossius substituit *conscindens.* Fatendum est, non satis accurate montem dici *vertice* aetherio *contingere* nubes. Nam *aetherius* vertex nubes iam superavit. Verum multo certiorem mede-

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?

lam offerunt duo Codd. pro *aetherio* exhibentes *aërio*. Haec lectio Tibullo restituenda videtur. Nam *aërii* montes perpetuo dicuntur. Catullus LXIV. 239. *Haec mandata prius constanti mente tenentem Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes* Aërium *nivei montis liquere* cacumen. LXVIII. 57. *Qualis in* aërii *perlucens* vertice montis *Rivus muscoso prosilit e lapide.* Ovidius II. Metam. 226. Aëriaeque *Alpes et nubifer Apenninus.* Lucanus I. 688. *nunc desuper Alpis Nubiferae colles, atque* aëriam Pyrenen *Abripimur.* Nusquam hinc discedit Virgilius, qui *aetherium* non nisi Olympum vocat. Male igitur Burmannus VIII. Aen. 221. edidit: aetherii *cursu petit ardua montis.* Hic in transcursu confirmanda est recepta lectio Cul. 137.

Adpetit aëriis contingere montibus *astra*
Ilicis et nigrae species et laeta cupressus.

Ubi Scaliger *motibus* emendat, Heinsius *frondibus.* Sed veram esse lectionem *montibus* demonstrat locus Homeri, unde ille expressus est, Il. ξ. 287.

εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον, ἢ τότ' ἐν Ἴδῃ
μακροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν.

Cicero V. Tusc. Disp. 27. *sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi; — alia autem illa divina* longe lateque se pandant, caelumque contingant. — V. 16. Edd. Venetae *arat cilices.* Plantin. *alat Cilicas*, quam lectionem probat Muretus, addens: „inepte in aliis libris, *Taurus arat Cilicas*, et inventi sunt tamen, qui hanc scripturam reciperent dicerentque, hypallagen esse.“ *Arat* Statius intelligit de rugis, quas frigus inducit: Broukhusius sumit pro *secat*, *dividit*, *dirimit.* Illud ridiculum est, hoc falsum. Neque enim Ciliciam in diversas partes dirimit Taurus, sed Ciliciam separat a pro-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0072

Qualis et, arentes quum findit Sirius agros,

ximis regionibus. At Cilicas *alit* Taurus, quatenus pascua habet et convalles, quae seri possunt et arari, in summis ille partibus adeo ferax, ὥστε καὶ ἐλαιόφυτα εἶναι πολλὰ χωρία καὶ εὐάμπελα, Strabo XII. p. 546. Huic tamen lectioni obstat, quod Tibullus non historiam naturalem scribere, sed res terrarum orbis admirabiliores, velut fluvios insignes, urbes claras, montes spectabiles commemorare volebat et debebat. Nunc tota miraculi vis cadit in verbum *alat*, quod, ut Heynii dicto utar, ipso Tauro frigidius est. Sed haec fortasse non Tibulli culpa est. Fieri enim potuit, ut librarius sententiam corrumperet, duorum verborum *contingens* et *alat* inter se permutando modos. Nempe Tibullus ita scripsisse videtur:

Quantus et aërio contingat *vertice nubes*
Frigidus intonsos Taurus alens *Cilicas.*

Sic omne orationis frigus evanescit. Nam quae antea erat primaria sententia, facta nunc est, quod quaerebamus, secundaria ita, ut et narrationi Strabonis conveniat et iudicio poetae. Notum autem est illud scribendi genus *Quantus contingit* pro *Quantus est qui contingit.* Virgilius III. 641.

Nam qualis quantusque *cavo* Polyphemus *in antro*
Lanigeras claudit *pecudes atque ubera* pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes et altis montibus errant.

Vide XII. Aen. 701. Tibullum III. 6. 23. Silius Italicus I. 127.

Quanta *procul moles scopulis* ad sidera tendit,
Cuius in aërio *pendent tua* vertice *castra.*

Confirmat coniecturam nostram in primis hoc, quod eadem verborum structura statim repetitur v. 19.

Utque maris vastum prospectet *turribus aequor*
Prima ratem ventis credere docta *Tyros.*

21. *Quum* findit *Sirius agros.* In duobus Statianis *scindit.* Sicut apud Virgilium II. Georg. 353.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0073

Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?

Hoc, ubi hiulca *siti* findit *Canis aestifer arva:*

sunt, qui legant *scindit.* Perperam. Catullus LXVIII. 62.

Quum gravis exustos aestus hiulcat *agros.*

22. *Abundet.* Libri aliquot *abundat*, quod recipiendum videtur, quamvis praecesserint *volitet, prospectet.* Saepe classici scriptores hoc modo variant orationem. Quod non observans Scaliger pessime interpolavit Propertium I. 2. 9.

Adspice, quos submittit *humus formosa colores,*
Ut veniant *hederae sponte sua melius,*
Surgat et *in solis formosior arbutus antris,*
Et sciat *indociles currere lympha vias:*
Litora nativis perlucent *picta lapillis,*
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

Ubi fortasse una et altera lectio aliter constitui poterit. Sed illud ferendum non est, quod Scaliger v. 13. substituit, *nativos per se dent* picta *lapillos — canant.* Propertius II. 16. 29.

Adspice, quid *donis Eriphyla* invenit *amaris,*
Arserit *et quantis nupta Creusa malis.*

Ubi Heinsius reposuit, *Eriphyle* flerit amatis, accedente Burmanno, qui tamen non offendit ad II. 34. 33. *Non,* vel

Nam rursus licet Aetoli referas *Acheloi*
Luxerit ut *magno fractus amore liquor:*
Atque etiam ut *Phrygio fallax Maeandria campo*
Errat *et ipsa suas* decipit *unda vias:*
Qualis et *Adrasti* fuerit *vocalis Arion,*
Tristia ad Archemori funera victor equus —

Valerius Flaccus I. 277.

Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit, ut steterit *redimitus tempora vittis*
Phrixus et iniustas contectus nubibus aras
Fugerit, *Inoo linquens Athamana Learcho;*
Aureus ut *iuvenem miserantibus* intulit *undis*
Vector, et adstrictis ut sedit *cornibus Helle.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0074

Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.

V. 23. *possim.*

23. *Quanam* possum — *caussa.* Edd. Venetae, ut complures libri scripti *possim.* Quod non opus erat revocare. *Possum* saepe ita ponitur in interrogatione. Horatius I. Ep. 6. 40.

chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenae praebere rogatus,
Qui possum *tot? ait.*

Vide Vulpium ad Propertii II. 20. 28.

Possum *ego naturae non meminisse tuae?*

25—26. *tellus tua* postulat *imbres* &c. Telluris Jovi Pluvio supplicantis signum Athenis olim exstitisse narrat Pausanias Attic. c. 24. ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία· εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεηθεῖσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβὰς αὐχμός. Cuius loci indicium debemus Vulpio, qui praeterea Augustini Enarrationem in Psalmum 66. num. 10. et Petrarchae quoddam comparat carmen, similia, credo, veterum poetarum exempla desiderans. Sed pari modo scribit Lucretius V. 1082.

Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta,
Corvorumque greges, ubi aquam *dicuntur et* imbreis
Poscere, *et interdum* ventos aurasque vocare.

Horatius III. carm. 1. 29.

Non verberatae grandine vineae,
Fundusve mendax, arbore *nunc* aquas
Culpante, *nunc* torrentia agros
Sidera, *nunc* hiemes iniquas.

Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem:
Hic viridem dura caedere falce comam.

V. 27. *Osirin.*

27. *Osirin* primus induxisse videtur Muretus. Edd. veteres *Osirim* exhibent. Et haec vera videtur scriptura. Charisius p. 69. *quum latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim quum adsit auctoritas. Nam et Varro de vita sua non tantum huius* Serapis *declinavit, sed et* Isis, *quod paullo est durius: et Virgilius* Irim *dicit et* Parim *et* Tigrim. — Apud Propertium parum constanter modo *Parim* expresserunt editores, modo *Parin.* Semel omnes fere consentiunt II. 32. 35.

Quamvis Ida Parim *pastorem dicat amasse* —

invito Valckenario ad Catulli Elegiam Callimach. p. 73. „*Parin* enim scribere solent.“ Ib. III. 11. 41. veteres libri *Anubim* tuentur. Pertinet huc etiam observatio Bentleii ad Horatium III. 17. 7. „*Lirim* non *Lirin* edidimus, cum editiones veteres secuti, tum et codices scriptos. Nam in *Italicis* nominibus amant potius terminationem Latinam, ut Virgilius.“ Vide, quae annotavimus ad El. 1. 36.

32. *Non notis — arboribus.* Calpurnius Ecl. X. 39.

Mirantur *Satyri frondes et* poma *Lyaei.*
Tum Deus, o Satyri maturos carpite fructus,
Dixit et ignotos, *pueri, calcate* racemos.

34. *Dura falce.* Emendavit, nescio quis, *curva falce.* Quod recte reiiciens Broukhusius *duram* dici falcem ait propter ferri rigorem.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0076

Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.

Sed praestat sequi Vossium, qui *severam* vel *immitem* interpretatur, *dura imperia*, ut scribit Virgilius II. Georg. 369. *exercentem*. Quam interpretationem confirmat Homerus Od. ξ. 418.

ὡς ἄρα φωνήσας κέασε ξύλα νηλέϊ χαλκῷ.

Hoc sensu Horatius scribit IV. 4. 57. Duris *ut ilex tonsa* bipennibus — Similiter alucinantur Critici ad similem versum Propertii II. 19. 12.

Et vitem docta *ponere* falce *comas*.

36. *Incultis pedibus*. Heinsius *adductis* emendat. Statius malebat *inlutis* vel *inlotis*. Parum facete! Sed *incultos pedes* nolim equidem sumere pro *rudibus* vel *indoctis*. Quae enim cogitari potest in calcandis uvis pedum cultura vel doctrina? Hanc interpretationem non aeque ac superiorem commendat Homerus, qui *doctos pedes* tribuit *saltatoribus* Il. σ. 599.

οἱ δ' ὅτε μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσι.

Recte Heynius *incultos* pedes sumit pro *squalidis* musto. Ovidius Ep. VIII. 64.

Hument incultae *fonte perenne* genae.

40. *Tristitiae*. Mallem *laetitiae*, si alicuius antiqui codicis accederet auctoritas. MURET. In hanc Mureti sententiam magno consensu discesserunt Passeratius, Guyetus, Heinsius, alii. Nec mirum. Nam vulgata lectio difficillima est ad intelligendum, neque adhuc ab ullo interprete probabiliter explicata. Ego nullam aliam construendi huius loci rationem video, nisi hanc: Bacchus *pectora agricolae*, magno

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0077

confecta labore, *dissolvenda dedit*, dare solet, *tristitiae;* ut *agricolae* sit casus secundus, *tristitiae* tertius, pendens a verbo *dedit*. Quae ipsa constructio postulare videtur emendationem *Laetitiae* — nisi forte *Tristitia* ipsa hoc loco dissolvit pectora, sicut apud Sophoclem *Insania* Ai. 705.

ἔλυσε γὰρ αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρη.

Ubi Musgravius, Quomodo, inquit, si Mars morbi auctor fuit, eoque iam digresso morbus cessavit, idem tamen Mars τὸ ἄχος ἔλυσεν? *An, cuius absentia aegrimoniam tollit, is demum aegrimoniam levare dicatur?* — Quam difficultatem bene dissolvit Lobeckius laudato Val. Flacci loco I. 434.

At tibi collectas solvit *iam* fibula *vestes.*

Quo magis miror, eundem virum doctum obtemperare noluisse libris scriptis v. 673. cujus loci eadem plane est ratio, atque adeo ibi substituisse λείαν pristinae lectioni

δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε
στένοντα πόντον· ἐν δ' ὁ παγκρατὴς ὕπνος
λύει πεδήσας, οὐδ' ἀεὶ λαβὼν ἔχει.

Quem locum imitando expressisse videtur Quintus Smyrnaeus IX. 104.

ἦ οὔπω τόδε οἶδας' ἀνὰ Φρένας, ὡς ἀλεγεινοῖς
ἀνδράσιν ἐκ καμάτοιο πέλει θαλίη τε καὶ ὄλβος;
ἐκ δ' ἄρα λευγαλέων ἀέμων καὶ χείματος αἰνοῦ
Ζεὺς ἐπάγει μερόπεσσι δι' ἠέρος εὔδιον ἦμαρ.
ἐκ τ' ὀλοῆς νούσοιο πέλει σθένος, ἔκ τε μιδθοιο
εἰρήνη· τὰ δὲ πάντα χρόνῳ μεταμείβεται ἔργα.

Ergo *Tristitia* non modo constringit pectora, verum etiam dissolvit — *cessando.* De quo scribendi more vide observationem Heynii ad Homeri Il. κ. 98. καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ. et quae disputat Schaeferus ad Sophoclis Ai. 674. Sed haec ratio an Tibulli loco accommodari possit, nondum satis perspicio. Hesiodus Asp. 400.

οἷα Διώνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0078

Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et levis aptus amor;
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et centum ludis Geniumque choreis

V. 47. *dulci.* 49. *sanctum ludo.*

Euripides Bacch. 415.

ἴσαν δ' εἴς τε τὸν ὄλβιον
τόν τε χείρονα δῶμ' ἔχειν
οἴνου τέρψιν ἄλυπον.

47. *Dulcis tibia cantu* Fruterius emendavit *dulci-cantu.* Accedit codex Goth. Heinsius, Lege *dulcis flatu*, „*cantus* praecesserat." Vide annotationem ad I. 1. 49. Ovid. III. Am. 13. 11.

Hinc ubi praesonuit solemni *tibia* cantu.

49. *centum* ludis. *Ludis* est e coniectura Statii, cum omnes ad unum Codices et editiones antiquae, et Rhaphelingia etiam, habeant *ludos;* unde versum sic refinxit Heynius:

Huc ades et Genium *ludo*, *Geniumque choreis* —

Qua palmaria coniectura nihil praeclarius aut verius reperiri posse credimus. Nec huius inventi laudi quidquam detrahitur, quod idem eodem fere tempore in mentem venit eximio Critico, Ier. Marklando, Animadversionibus Anglice scripsis in Ciceronem p. 68. Santen. Bibl. Crit. Vol. I. P. III. p. 64. Statii coniecturam *ludis* quatuor confirmant libri scripti, in his Askew, qui tum nondum in manibus erat

Concelebra et multo tempora funde mero. 50

Santenii. Edd. Venetae 1491. 93. 1500. *ludes*. Guyeti inventum: *Huc ades et* sanctum ludo — nemo adsensione comprobavit, nedum ut in contextum admiserit, praeter Vossium, cui vox *centum* superlata videtur et inanis, nec loco suo posita. Hoc quidem recte. Scaliger nihil aliud nisi locum adscripsit Virgilii III. Georg. 18.

Centum *quadriiugos agitabo ad flumina* currus.

Ubi etiam Heynius Tibulli sui memor est, laudans praeterea Gratii Cyneget. 520. Addere in primis debebat Catullum LXIV. 388.

Saepe pater Divum templo in fulgente revisens
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum *procurrere* currus.

Pertinet res ad illud Pindari dictum, πάντα θύειν ἑκατόν. Hoc volebat Scaliger. Miror autem, nemini in mentem venisse Horatium III. 8. 13.

Sume, *Maecenas, cyathos amici*
Sospitis centum, *et vigiles lucernas*
Perfer in lucem, procul omnis esto
Clamor et ira.

Ubi notandum, quod Acron adsripsit: *verbo usus est convivarum*, centum cyathos. — Bene igitur habet etiam apud Tibullum scriptura *centum*. Enimvero *Genius* in hoc versu minime obtinet locum suum, quum ei potius conveniat is, quem obtinet infra II. 2. 5.

Ipse suos Genius *adsit visurus honores* —

vel etiam paullo inferior, ut apud Horatium II. Ep. 1. 143.

Floribus et vino Genium *memorem brevis aevi.*

Noli igitur dubitare, quin librarii duarum vocum simillimarum *centum*que *Genium*que inter se permutarint sedes, et, nisi malis: *Huc ades et ludis* Genium — mecum lege:

Huc ades et Genium *ludis* centumque *choreis*
Concelebra et multo tempora funde mero.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0080

Illius e nitido stillent unguenta capillo,

51. *Illius e nitido* — Codex Datianus, tertiusque recentior habent, *Illius et*. Askewianus *Illius e*, teste Santenio ad Balbum c. 20. p. 1823. *Interea positis stillent unguenta corollis.* Eldikius cum hoc versu comparat Callimachi Fragmentum XII. apud Valckenarium p. 205. — ἀπ' ὀστλίγγων αἰὲν ἄλειφα ῥέει. Tibullus II. 2. 7.

Illius puro destillent tempora nardo.

Ubi eodem modo libri variant, aliis *e* inserentibus, aliis *et*. III. 4. 28.

Stillabat Syrio myrtea rore coma.

Hic Vossius reposuit *Spirabat*, veritus, ne *somnians* poeta non potuerit dignoscere *Syrium* rorem, (quo delibutam fuisse Apollinis comam *vigilans* fingit) nisi *odore*. Sed agitur ibi de *nitore*, non de *odore;* et *nitidae* comae *fluere unguento* et *stillare* dicuntur, etiamsi ungento non sint delibutae, ex usu loquendi Homerico. Certe nemo cogitat de unguentis, ubi Homerus Ἄτην vocat λιπαροπλόκαμον, Il. τ. 126. Od. η. 107.

καιρισέων δ' ὀθόνεων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.

Vide Heynium ad Il. σ. 596. Hinc fortasse explicandus est, qui in transferendis verbis saepe pendet ab Homero, Pindarus in Dithyrambo apud Dionysium Halic. de Comp. Verb. p. 305. ed. Schaef. p. 67. ed. Heyn. ubi Dii advocantur ad concelebrandum Bacchum, sicut a Tibullo Bacchus vel Osiris invitatur ad concelebrandum Genii festum diem:

δεῦτ' ἐν χορὸν, Ὀλύμπιοι,
ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοὶ,
πολύβατον εἴτ' ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα
ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις
εἰχνεῖτε, πανδαίδαλόν τ' εὐκλέα ἀγορὰν·
ἰοδέτων λάβετε στεφάνων
τῶν ἐαροδρέπτων λοιβάν —

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0081

Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne! Tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.

V. 53. *Sic venias, hodierne!* 54. *Libaque.*

Quae ultima verba vulgo ita vertuntur: *violis revinctarum coronarum, quae vere decerptae sunt*, libationem *accipite*. — Audiamus Schaeferum, virum graece doctissimum: „Miram phrasin, στεφάνων λοιβὰν, excusabit dithyrambicae poeseos licentia. Nisi hic usus proprius fuit priscae Graecorum linguae, unde in Latinam videtur transiise, quae *libare* omnino pro *sacrificare* usurpat.“ Vix crediderim, sed verterim potius: *coronarum violis nexarum* — *sumite* splendorem, id est, *splendentes violis coronas*. Pari metaphora Iamus dicitur Ol. VI. 91. ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἀβρὸν σῶμα. Quem locum illustrat, nisi fallor, Wakefieldius ad Lucretium V. 281. *Largus item* liquidi fons luminis, *aetherius sol*, Inrigat *assidue coelum* candore *recenti*. Coronati igitur dii adesse iubentur apud Pindarum, ut hoc loco et II. 2. 5. Genius; item Apollo II. 5. 5.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus *pulcherque veni: nunc indue vestem*
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.

53. *Sic venias hodierne.* Homerus Od. β. 262.
κλῦθί μοι, ὦ χθιζὸς θεὸς ἤλυθες ἡμέτερον δῶ.
Tibulli loco utitur Gronovius ad confutandum Cruceum, statuentem Antidiatr. p. 41, has locutiones *vix* usurpari nisi in casu nominandi; quod Handius, *ut ratio intelligatur*, ita explicat ad Elench. Antidiatr. p. 185. adiectivum *nunquam* pro adverbio poni nisi casu absoluto. Gronovii exempla an omnia ad rem pertineant, alia quaestio est. Sed Gronoviana doctrina nihil verius esse, demonstrabimus incorruptis aliquot Graecorum, ad quos ipse provocat, exemplis. Callimachus Dian. 26.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0082

At tibi succrescat proles, quae facta parentis 55

ὡς ἡ παῖς εἰποῦσα γενειάδος ἤθελε πατρὸς
ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας,
μέχρις ἵνα ψαύσειε.

Constat, quantum molestiae hic locus exhibuerit Ruhnkenio, primum corrigenti Ep. Crit. ad Ernestium p. 24. ἀπαλὰς χεῖρας, deinde πολλὰ, mox παιδνὰς Ep. IV. p. 14. ed. Tittmann. Sed mutavit sententiam vir praestantissimus, postquam vidit, Callimachum expressisse Euripidem Iph. in Taur. 363.

ὅσας γενείου χεῖρας ἐξηκόντισα,
γνάθων τε τοῦ τεκόντος ἐξαρτωμένη.

Vide Ep. Crit. II. p. 142. ed. alt. Nec tamen hunc locum Callimachus, sed expressit potius Euripidis Or. 282.

οἶμαι δὲ πατέρα τὸν ἐμόν, εἰ κατ' ὄμματα
ἐξιστόρουν νιν, μητέρ' εἰ κτεῖναί με χρὴ,
πολλάς γενείου τοῦδ' ἂν ἐκτεῖναι λιτάς —

Ubi fortasse legit Callimachus χέρας. Sed illud significantius est. Utrumque coniungit Tibullus III. 4. 64.

Tu modo cum multa brachia tende prece.

Demosthenes pro Cor. T. I. p. 272. Reisk. τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πυθῶνι θρατυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα οὐδ' ὑπεχώρησα. Quod imitatur Horatius I. Serm. 7. 28.

Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia —

Ubi vide Bentleium. Persius, qui scripsit V. 62.

At te nocturnis *iuvat impallescere chartis:*

poterat etiam scribere: *At te* nocturnum — sicut Antipater Sidon. ep. 97.

Καλλιγένευς Διόδωρον Ὀλύνθιον ἵσθι θανόντα
ἐν λιμένι, πρώρης νύκτερον ἐκχύμενον.

Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex. 60

V. 58. *Candidaque.*

Illam autem syntaxin, qua usus est Tibullus, *Sic venias hodierne:* satis Scaliger illustravit ad ep. 83. Anthолog. Lat. T. II. p. 560. comparato in primis loco Theocriti XVII. 66. Ὄλβιε κῶρε γένοιο. Quod ita imitatur Propertius II. 15. 2.

Lectule, *deliciis* facte beate *meis.*

Nullam igitur caussam video, quamobrem Tibulli locus ita interpungatur: *Sic venias, hodierne!* id est, ut ille vertit, *o deus huiusce diei! — tibi dem.* Alii *dum,* quod reposuit Heynius in Ed. III. Sed *dare tus* solemnis formula est. Tibullus I. 8. 34. III. 3. 2. Guelf. 2. *tibi* dem *turis honorem,* Libem *et Mopsopio dulcia* mella favo: ex interpolatione. Infra I. 10 23.

Atque aliquis voti compos liba *ipse* ferebat.

56. *Circa stet veneranda senem.* Pindarus Ol. V. 48. σέ τ', Ὀλυμπιόνικε — φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευταν, υἱῶν, Ψαῦμι, παριστα μένων. Vide Tibullum I. 10. 39.

58. *Candida quem* reposuit Broukhusius, quum in Codice suo reperisset, *que Tuscula tellus, Candida que.* Atque ita accuratius distingui videntur Tusculani ab Albanis, quam si legas: *quem Tuscula tellus, Candidaque* — Caeterum ut hoc loco Alba, ita Tibur designatur a Propertio III. 16. 3.

Candida *qua geminos ostendunt* culmina *montes.*

Horatius Ep. I. 29.

Nec ut superni villa candens *Tusculi*
Circaea tangat moenia.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0084

Te canet agricola, e magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

V. 61. Omittitur *e*.

61. Edd. veteres *canit*. E Vaticano tandem *canet* reposuit Broukhusius. „Haec enim scribebantur viis istis nondum ad plenum absolutis.“ Praepositio a plerisque libris abest. Nec ea tamen commode hoc loco omitti potuit, nec omisit Virgilius Ecl. VIII. 109.

Parcite, ab urbe venit, *iam parcite*, *carmina*, *Daphnis*.

His adscribere iuvat locum Pindari de Batto Pyth. V. 120.

κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν,
εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις
ἀλεξιμβρότοις παιδιάδα πομπαῖς
ἔμμεν ἱππόκροτον
σκυρωτὰν ὁδόν.

Addenda.

P. 3. l. 27. post *fluxit* adde: Homerus Il. ψ. 735.

μηκέτ' ἐρείδεσθον, μηδὲ τρίβεσθε κακοῖσιν.

P. 9. l. 24. Primum versum epigrammatis in Ardeatis templi pictorem ita corrigit Bentleius Epist. ad Millium p. 519. ed. Lips.

Dignis dignu' loco *picturis condecoravit* —

comparans Lucilium:

Somnis spurcus homo vita illa dignu' locoque.

Quem Lucilii locum respicit Quintilianus IX. 4. 840. *Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, quum dicit*, serenu' fuit, *et* dignu' loco.

P. 38. l. 19. post *nolim* adde: Simili in errore versabatur Brunkius, quum hanc scripturam inferret in contextum Theocriti XXVII. 34.

ὄμνυε μὴ μετὰ λέκτρα, λιπόντ' ἀέκουσαν, ἀπενθῆν.

Quas lectiones verisimiles vocat Valckenarius. Schaeferus, nescio an primus, ita rectius edidit:

ὄμνυε, μὴ μετὰ λέκτρα, λιπὼν ἀέκουσαν, ἀπενθῆν.

Ib. l. 22. post *pronominum* adde: hic, &c.

P. 50. l. 9. post *Nam*, adde: ut de metro nihil commemorem.

P. 62. l. 28. scribe: *Dixit, et* — Adde: Pindarus Fragm. XXXIII.

δενδρέων δὲ νόμον Διόνυσος
πολυγαθὴς αὐξάνει
ἀγνὸν φεγγὸς ὁπώρας.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0086

Augeat, et circa stet veneranda senem.
taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus,
ndida quem antiquo detinet Alba Lare.
e opibus congesta tuis hic glarea dura
itur, hic apta iungitur arte silex. 69

V. 58. *Candidaque.*

Illam au qua usus est Tibullus, *Sic venias hodierne:* satis Scali ep. 83. Antholog. Lat. T. II. p. 560. comparato in prin riti XVII. 66. Ὄλβια κῶρε γένοιο. Quod ita imitatur 2.

iciis facte beate *meis.*

Nullam igitur ca quamobrem Tibulli locus ita interpungatur: *Sic venias,* t, ut ille vertit, *o deus huiusce diei! — tibi dem.* Ali eposuit Heynius in Ed. III. Sed *dare tus* solemnis formula I. 8. 34. III. 3. 2. Guelf. 2. *tibi dem turis honorem,* topio *dulcia* mella favo: ex interpolatione. Infra I. 10

Atque aliquis iba *ipse* ferebat.

56. *Circa stet ven* Pindarus Ol. V. 48. σέ τ', Ὀλυμπιόνικα — φέρειν γῆ τελευταν, υἱῶν, Ψαῦμι, παριστα μένων. Vide Ti 9.

58. *Candida quem rep* s, quum in Codice suo reperisset, *que Tuscula tellus,* Atque ita accuratius distingui videntur Tusculani ab Alba legas: *quem Tuscula tellus, Candidaque* — Caeterum u ita Tibur designatur a Propertio III. 16. 3.

Candida *qua geminos ostendu* ntes. Horatius Ep. I. 29.

Nec ut superni villa cande
Circaea tangat moenia

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1950014452/phys_0091